DE FESTIS PRAECIPVIS, EVANGELIA, ANNOTATIONIBVS PIIS & synceris, per Quæstiones explicata.

Autore IOANNE SPANGENBERGIO Herdessiano, Theologo.



FRANC. Apud Hæredes Chr. Egen.
M. D. LX.

IN
S



tes r
& d
ſcar
tibu
linc,
um Z
in na
tes re
ms r
cum

Adj
Q

Duo
altrò
gratia
ad Ap

IN DIE ANDREAE SANCTI APOSTOLI, EVANGElium, *Matthæi* IIII.



AMBVLANS autem Ieſus iuxta mare Galilçæ, uidit duos fratres, Simonem, qui uocabatur Petrus, & Andream fratrem eius, iacientes rete in mare (nam erant piſcatores) & dicit: Sequamini me, & faciam uos piſcatores hominum. At illi relictis ilico retibus, ſecuti ſunt illum. Et progreſſus illinc, uidit alios duos fratres, Iacobũ filium Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui, cum Zebedço patre ſuo, ſarcientes retia ſua; & uocauit eos. At illi protinus relicta naui & patre ſuo, ſecuti ſunt eum.

ARGVMENTVM.

Petrus & Andreas pelago dum retia iactant,
Ad ſe praeteriens Chriſtus utrunq; uocat.

Quid hoc nobis proponit Euangelion?

Duo exempla. Vnum charitatis in Chriſto, qui ultrò adueniens mera adductus benignitate, gratia & miſericordia, miſeros & ſimplices ad Apoſtolatum uocat piſcatores, & efficit

ex illis piſcatores hominum, paſtores Eccleſiæ, & filios æternæ uitæ.

Alterum, fidei in hiſce quatuor piſcatoribus, Petro, Andrea, Iacobo, & Ioanne, qui ad unam Chriſti uocationem omnia relinquunt, & ſequuntur eum, non modò relictis rebus & fortunis omnibus, uerumetiam in cruce, paßione, & morte.

Quid eſt, quòd Chriſtus proficiſcitur & iter facit, iam ſuper terram, iam in littore maris, iam ſuper mare?

Corporalis meatus & Chriſti profectio ſuper aquas, & terram, non eſt aliud, quàm ut nobis per liberalem ſuam benignitatem perhibeat quòd non ſuum commodum, quietem & ocium, ſed omnium hominum ſalutem & felicitatem, quæſiuerit, qui grauißimam moleſtiam, & labores, docendo, prædicando, ſanando, & conſolando ſuſtinuerit, ut omnibus infirmis ac malè affectis cordibus, afflictisq; conſcientijs conſuleret.

Quod mare intelligit?

Turbulentißimum hunc mundum, qui aßiduò per uentos humanæ doctrinæ et uanitatis, & per tentationum procellas, aduerſitates, perſecutiones, & afflictiones quaſſatur, & agitatur, adeò ut nulla ibi tranquillitas, pax & ocium ſit.

Quando Chriſtus iuxta mare ambulat?

Quando

Quando post pariete͂ latet (ut canit sponsa in Epithalamio Salomonis) & per cancellos prospicit, sinitq́; nos tentari & persecutionibus iactari, interim aduertit quomodo nos in afflictione geramus, an constantes maneamus, & in patientia perseueremus.

Quando Christus ambulat super mare?

Quando omnes fluctus & procellas tentationu͂ afflictionumq́; subijcit, & calcat pedibus, uentis mandat ut quiescant, ac sic pacem facit in cordibus & conscientijs.

Quid Christus inter ambulandum hic in terris, & iuxta mare agebat?

Prædicabat uerbum gratiæ, & offerebat omnibus hominibus remißionem peccatorum, & æternam uitam.

Quis tenor & series Concionis Christi?

Sic ait: Resipiscite, instat enim regnum cœlorum. Quasi diceret: Si peccata uobis uestra displicuerint, & supplices manus ad Deum pro gratia impetranda tetenderitis, haudquaquam deerit aut denegabitur uobis gratia, Tempus enim salutis, & annus acceptabilis Domini præ foribus est, tantum ne aspernemini, & ne frustra transigi patiamini.

Num solus se Christus hac prædicatione uult onerare?

Non sanè: uult etiam ministros, seruos & cooperarios habere, sicut prius in ueteri Testamento habuit.

Vnde illos sibi sumet?

Non ex Academia Attica, neq; ex doctis Philosophis Aegypti: non ex Pontificibus, Pharisæis, aut Legis Doctoribus Iudæorum, sed ex publica turba, pauperes piscatores, Publicanos, & mercenarios.

Quid ita isthuc?

Quemadmodum Verbum & prædicatio Christi coram mundo contempta est, & parui fit à plerisq;, & semper habet adhærentem persecutionem, ut ea de causa quoq; à D. Paulo Verbum crucis appelletur: Ita etiam uulgaribus & obscuris, & ignobilibus ministris gaudet, adq; eiusmodi prædicationem uocat.

Hæc uocatio quomodo facta?

Ambulabat Christus iuxta mare Galilææ, uidit Petrum & Andream iacientes rete suum in mare: similiter Iacobum & Ioannem (erant enim piscatores) & uocauit eos.

Quid est, quòd Christus eos uidit?

Aliud nihil, quàm quòd hominum corda mouet, suamq; diuinam gratiam impertit. Sic aspiciebat

Matthæum

Matthæum ad telonium, Zachæum in arbore, Latronem in cruce, & hic ad mare hosce quatuor piscatores, ut sequerentur. Non enim simplex intuitus, quo eos Christus aspicit: Dei uisus penetrat carnem & sanguinem, medullam, ossa, & quod maius est, animam & spiritum.

Quomodo uocabat Christus hosce discipulos?

Me sequamini, inquit, & faciam uos piscatores hominum.

Quotuplices sunt uocationes?

Duplices. Prima generalis est uocatio. Altera singularis. De generali uocatione inquit Moses, Gene. 3. In sudore uultus tui comedes panem tuum. Hæc uocatio ad omnes in genere pertinet homines. Altera fit, quando Deus alioqui in specie aliquem nominatim uocat, per legitima media, aut ad imperandi, aut prædicandi munus. Ac sanè quadruplices Apostoli, aut Prædicatores sunt: Quidam immediatè à Deo uocantur, quemadmodum Prophetæ & Apostoli. Quidam per media, uelut discipuli Prophetarum & Apostolorum, & ueteres pij Episcopi. Alij ex gratia, autoritate, & amicitia hominum uocantur, uti Cardinales nonnulli, Episcopi, & Præsules. Alij rursus uocantur, neque à Deo, neq; ab hominibus, sed à seipsis, non uocati currunt, sicut Pseudoprophetæ, Anabaptistæ, Hæretici, & Sectarij.

An non hi discipuli quoq; priori & generali erant comprehensi uocatione?

Ita sanè. Ac sine dubio uti sancti & religiosi uiri in ea mansissent, si non priuatim à Christo ad munus Apostolicum uocati fuissent. Vnde discamus, si quando ad Rempublicam, aut ministerium VERBI *uocamur, nobis sequendum, in ea uocatione fidem præstandam esse. Si uerò non uocemur, in prima & generali uocatione maneamus, et nostras res secundum mandata Dei agamus.*

Cur Christus adeò simplices & indoctos homines, ut piscatores & publicanos, ad munus apostolicum uocat?

Propter tres causas. Vt Dei potentia toti mundo innotesceret, qui tantum opus per plebeios & imi subsellij homines exorsus, etiam multa uirtute, in Satanæ, & totius mundi contemptum, effectum redderet. Deinde, ne quis existimet Deum respicere personas, qui solùm sapientes, diuites, & potentes eligat. Sic enim ait D. Paulus, 1. Corinth. 1. Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi claro genere nati, sunt uocati, uerùm quæ stulta sunt secundum mundum, & quæ imbecillia, ignobilia, & contempta sunt, delegit Deus, ut ea quæ sunt aliquid obliteraret. Tertiò, quò facilius & promptius sequerentur homi-

nes

nes, maximè rudes & simplices. Pauci enim docti sequebantur Christum, ut Nicodemus, Gamaliel, Saulus. Sic pauci quoq; nobiles, ut Centurio, Ioseph ab Arimathæa. pauci itidem diuites, ut Zachæus &c.

Quid est causæ, quò minus sequuntur?

Sapientes suis freti præclaris artibus & sapientia insolescunt. Potentes sua potentia efferuntur. Diuites suis pecunijs & opibus nituntur. Scientia enim inflat. Potentia efficit feroces contemptores. Diuitiæ pariunt auaritiam: atq; sic hæc hominum genera cessant, & Christum inuiti sequuntur.

Quid Christus hisce discipulis ad mare Galilææ loquebatur?

Dixit: Sequamini me, faciam uos piscatores hominum.

Quid piscari uocas?

Piscari hoc loco idem significat, quod Dei Verbum & sacrosanctum prædicare Euangelion, ut ipse Christus interpretatur, Matth. 13. Vbi Euangelion sagenam in mare missam appellat, qua omnis generis pisces capiuntur. Quemadmodum enim sagena tantùm ideò immittitur mari, ut ea pisces comprehendantur, Ita concionatorum est, in suis concionibus nihil aliud spectare, quàm ut Dei honor, & hominum salus quæsita uideatur. Pisca-

ri hic non significat dominari, & homines morti tradere, ac tyrannicè interficere: sed Dei Verbum religiosè et bona fide tractare, & Euangelion summa diligentia prædicare, ac diuina mysteria fideliter dispensare, sicut Paulus docet, 1. Corinth. 4. Qui germanus uolet esse doctor piorum, non is cum sectarijs reconditum ensem D. Petri. rursus eximat, homines mactet & interficiat, sed cum Ioanne Baptista uox interna maneat. Qui secus agit, non est Christi Apostolus, sed multò magis Antichristus dicendus.

Quomodo igitur Apostolo & præconi Christi agendum?

Non aliter atq; à Propheta Esaia 58. scriptũ: Clama audacter, ne parcas, uelut tubam exalta uocem tuam, & annuncia populo meo suas iniquitates, & domui Iacob sua peccata. Et D. Paulus 2. Timoth. 4. Prædica sermonem, insta tempestiuè, intempestiuè, argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina &c.

Qui sunt pisces?

Homines. Sic enim inquit Deus ad Prophetam Hieremiam cap. 16. Ecce ego mitto piscatores multos, & piscabuntur eos, & postea mitto uenatores multos, & uenabuntur eos in omnibus collibus & montibus. Sic Diuus Petrus piscabatur in die Pentecostes, & una captura tria hominum millia cepit. Diuus Paulus uniuersam Asiam & Græciam traxit.

Quid

Quid est, quòd discipuli sua sarciunt retia?

Non aliud præterquàm quòd piorum prædicatorum fungamur officio. Nam falsi doctores aliud nihil agunt, quàm quòd rete Euangelij dilacerant, et in causa sunt, ut subinde pisces uel successu temporis excidant. Atq; hic tum ueros Apostolos & ministros Christi adesse oportet, & ruptum rete resarcire, pisciculos iterum colligere, & reconciliare. Sic inquit D. Paulus, ad Titum capite primo: Episcopum decet esse tenacem fidelis sermonis, qui secundum doctrinam est, ut potens sit etiam exhortari sana doctrina, & contradicentes conuincere.

Quid faciunt discipuli à Christo uocati?

Audita uoce Christi, continuò se diuinæ resignabant uoluntati, non diu deliberantes, an in rem suam esset, sed relictis omnibus, secuti sunt illum.

Quid relinquebant?

Naues suas, retia, & patrem.

Id ne tanti æstimandum?

Non hic magnitudo aut multitudo rerum æstimanda, lacerum rete, & nauicula fatiscens, sed cor & animus eorum expendendus. Si multa illis fuissent bona, multa reliquissent. Copia si desit, bona tum laudanda uoluntas. Gregorius inquit:

Cœlum

Cœlum uenale est, si multa tibi sunt, magno: si pauca, paruo constat precio. Zachæus cœlum dimidio suorum bonorum parauit. Hi discipuli sua nauicula & reti. Vidua, de qua Luc. 21. gemino ære minuto. Imò poculum frigidæ aquæ propter Deum datum, non sua mercede frustrabitur, Matth. 10. Et in summa, in cõspectu Dei manus nunquam est uacua, si modò prompta uoluntas insit corde benigno. Grata Deo (ut fertur) pro factis plena uoluntas. Hæc facit ut pauper ueniat quoque gratus ad aras.

Ac si beneuolorum discipulorum statum, uitam ac rationem perpendamus, tot reliquerunt, imò multò plura, quàm ullus regum. Nam tametsi Rex aut Princeps maximè suum regnum, aut ducatum relinquat, tot tamen fautores & amicos inueniat, qui ipsum in necessitate desertum non patiantur, sed abundè illi prospiciant. Hi autem omnia reliquerunt, & Christum secuti sunt.

Quotuplex est sequendi ratio?

Duplex: Corporalis, & Spiritualis.

Corporaliter sequi quorum interest?

Non cuiusuis est, sed eorũ tantùm, qui Dei mandatum habent, quemadmodum hîc Apostoli. Et Abraham, Gene. 12. cùm Deus eum ex sua patria migrare iussit: sic quoq; cùm Christianus hodie propter Euangelion, à mundi tyrannis, ui ab uxore & liberis,

liberis, agris & ædibus auellitur, & in manus lictoris traditur, tum non modò spiritualiter, uerumetiam corporaliter sequi debet, sicut Christus inquit: Qui amauerit patrem & matrem, filium aut filiam plus quàm me, is non me dignus censetur. Et quisquis negauerit me coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo, qui est in cœlis.

Spiritualiter sequi quorum interest?

Omnium Christianorum. Quisq; enim piorum eo debet esse animo, quando, ubi, & quacunq; hora Christus uelit, aut Dei gloria exigat, paratus & promptus sit omnia relinquere: etiam propter ueritatem mortem obire.

An alterum sine altero fieri potest?

Spiritualis imitatio sæpe fieri potest sine corporeo motu, sed corporalis nec potest nec debet fieri præter spiritualem imitationem. In hoc enim casu utrunq; adesse oportet, ut & corporaliter & spiritualiter Christum sequamur.

Ad hoc quo pacto me comparem?

Ausculta paucis: Si ita Deo uisum fuerit, & decretum, ut omnia tibi relinquenda sint, & propter ueritatem moriendum, ne animum despondeas, sed liberè sequit[illegible] positis uxore, liberis, rebus, & agris, corpore & uita. Magna enim merces erit in cœlis. Si uerò te Deus ad eiusmodi crucem, & cruciatum

cruciatum non uocat, nihilominus in animo hæc meditata & decreta sint tibi. Interea tamen temporis, uxorem & liberos, agros & rem domesticam non negligas &c. In utroq; modo hi discipuli Christum secuti sunt, omnia relinquentes, etiam suam uitam propter Christum profuderunt. Petrus crucifixus est, sicut illi prædixerat Dominus, Ioan. ultimo. Andreas similiter de cruce suspensus. Ioannes à Cæsare Domitiano crudeliter tractatus, & in exilium relegatus. Iacobus eius frater ab Herode decollatus, Actor. 12. Ac sic Dei martyres & Christi cohæredes facti sunt in æterna uita.

Quid nos ex hoc Euangelio discemus?

Hoc nimirum: Quandoquidem clemens & misericors Deus hosce dilectos discipulos, qui itidē caro & sanguis fuerunt, tam clementer respexit, et tantam in illis operatus est gratiam, ut ad unicam Christi uocationem, omnia relinquerent, & Christum sequerentur, nobis quoq; orandum est, ut piemißimus pater propitius, uel scintillam fidei, & diuini amoris firmam spem, patientiamq; in cruce nobis largiri dignetur, ut unà cum dilectis Apostolis, & nos Christum nostrum caput, uti legitima membra: nostrum Dominum, tanquam fideles ministri: nostrum magistrum, uelut obsequentes discipuli: nostrum patrem, ut ingenuos decet liberos, &

corpo-

corporaliter et ſpiritualiter ſequamur, ut ſi cum ipſo in hoc ſeculo patiamur, etiam cum ipſo suprà in cœleſtibus dominemur in æterna uita: Id quod Deus nobis propitius concedat, Amen.

EVANGELIVM IN DIE S. NIcolai, *in fine, de Confeſſoribus, inuenies.*

IN DIE S. THOMAE APOſtoli, *Euangelium Ioannis* XX.

THomas autē unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quādo uenit Ieſus. Dixerunt ergo ei alij diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dicit eis: Niſi uidero in manib eius ueſtigium clauorum, & mittā digitum meum in ueſtigium clauorum, & mittā manum meam in latus eius, nō credā. Et poſt dies octo, iterum erāt diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis: Venit Ieſus ianuis clauſis, et ſtetit in medio, & dixit: Pax uobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & uide manus meas, & admoue manum tuā, & immitte in latus meum, et noli eſſe incredulus, ſed credens. Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Ieſus: Quia uidiſti me Thoma, credidiſti, beati qui non uiderunt & crediderunt.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Non credit Didymus Christum de morte reductũ,
Ni digitis tangat uulnera quina prius.

Quid hoc Euangelium nobis discendum proponit?

Tria praecipuè. Primùm, infidelem animum Thomae Apostoli spectandum praebet. Deinde, solicitudinem Christi pro suis discipulis. Tertiò, nostram beatitudinem.

Quis est hic Thomas Apostolus?

Hebraeis Thom, Graecis Δίδυμος, *& Latinis Gemellus dicitur: siue autem Thomas reipsa gemellus fuerit, siue tantùm hoc nomine uocatus sit, incertum nobis est, sed hoc nobis è sacra scriptura planum est, quòd quantum attinet ad affectus animi ipsius, uerè fuerit geminus. Etenim si respicias ipsum iuxta ingenium naturae suae, secundum carnem & sanguinem, uir fuit stupidus, indoctus, & incredulus. Sin autem intueamur secundum interiorem hominem, iuxta gratuita Dei dona in eum collata, sanctus ac beatus fuit Apostolus, imò certissimus testis resurrectionis Domini nostri Iesu Christi.*

Vbi eius ruditas & stupor proditur?

Quanquam cum Christo diu conuersatus erat, eiusq; saluberrimas conciones audierat, & magnifica miracula uiderat, ac toties ex Christo intellexerat,

xerat, quòd per mortem ipsi ex hac uita migrandum esset ad Patrem, quodq; in cruce sua passione & morte, humanum genus uniuersum à potestate Satanæ, Mortis & Orci redimendum esset, nihilo minus cùm Christus post ultimam cœnam diceret, Ioan. 14. Vado paraturus uobis locum, ut ubi ego sum, & uos sitis: & quò ego uado, scitis, & uiam scitis. Tunc respondet Thomas, & dicit: Domine, nescimus quò uadis, & quomodo possumus uiam scire? Ea erat rudis & insulsa responsio ab Apostolo. Sed quantumuis ieiuna ac rustica responsio esset, admodum tamen bene cecidit. Etenim illud responsum Thomæ, penè pulcherrimum ac consolantissimum uerbum, quod in Euangelio extat, ex ore Christi elicuit.

Quod illud est uerbum?

Iesus inquit: Ego sum uia, uita, & ueritas. Nemo uenit ad Patrem, nisi per me.

Hoc dictum quid sibi uult?

Christus hoc dicto suos discipulos, & omnes Christianos uult auulsos ab omnibus erroneis uijs, ab omni falsa ac mendaci doctrina, sectis & hæresibus, ab omni deniq; illo, quod nobis ad uitam æternam impedimento sit. Ac si diceret: Noui multas uias & uarias ad cœlum excogitatas, & postmodum fingendas esse, Ac multa falsa dogmata & mendacia passim sparguntur in uulgus, quæ non ad immortalem uitam, sed multò magis ad æternam

damnationem perducunt, sed ego dico uobis; Ego sum uia, & ueritas, & uita, si a me aberraueritis, nunquam uiam ad coelum inuenietis, etsi ad necem usq; scrutemini. Nulla enim alia uia, nulla semita, nulla nauis, nullus pons, nulla alia porta est ad Patrem. Ego enim sum principium & finis. Ideò, ne uos per biuia, triuia, aut auia abduci, nec falsa doctrina, & uaniloquio remorari aut retrorsum pelli patiamini, uerùm in recta uia, in meo uerbo, in ueritate: & tertia pars, uita æterna, non defutura. Atq; hæc diserta & plenissima consolatione fuit concio, quam Thomas sua importunitate Christo extorsit.

Incredulitatem eius unde animaduertas?

Cùm post resurrectionem Christi discipuli dicerent: Vidimus Dominum, Ioan. 20. non uerebatur impudenter dicere: Nisi uidero in manibus eius uestigium clauorum, & mittam digitum meum in uestigium clauorum, & manum meam in latus eius, non credam. Nonne & hæc absurda responsio? Reputat enim omnes Christi discipulos mendaces, & omnia dicta factaq; Christi uana & inania.

Profectò horrenda hæc sunt peccata & flagitia.

Haud dubiè auditu horrenda. Nam honestum, fortem, & constantem uirum arguere aut insimulare

lare mendacij, maius est delictum coram Deo, quàm coram mundo omnes eius res & facultates externas furari. At sic de Apostolis & discipulis Christi sentire multò grauius est scelus. Ad hæc Christo sacrosanctum uerbum suum, & salutaria miracula reddere inania & despecta, procul dubio non leue peccatum aut erratum est, id quod hic Thomas facit, quod in ipso est. Quoties enim audierat ex Christo: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morti, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. Præterea in quartum usq; annum eius diuinas orationes audierat, miraculaq; uiderat, quæ in cæcis, claudis, surdis, mutis, leprosis, dæmoniacis curandis ediderat, &c. Nihilominus tamen hæc omnia ducit pro uanißimis nugis.

Atq; ea ratione Pontifex & Pharisæi maiorē fidem de resurrectione Christi habuisse, quàm Thomas uidentur?

Ita sanè: Cùm enim quidam ex custodibus in urbem Hierosolymam uenissent, & principibus Sacerdotum renunciassent, quomodo Christus potenter resurrexerit, congregati sunt cum Senioribus, consilio habito, & magnam pecuniæ uim numerauerunt militibus, dicentes: Dicite, quòd discipuli

eius nocte uenerint, & furati sint eum, uobis dormientibus &c. Quod profectò non fecissent, nisi custodibus Christum à mortuis resurrexisse affirmantibus, fidem habuissent. Ac sic Pontifices & Iudæi plus fidei habent custodibus & barbaris militibus, quàm Thomas Apostolis & discipulis Christi. Quid hac incredulitate potest dici infidelius? adeò ut non immeritò à Christo ex Apostolorum consortio eijciendus uideatur. Sed hoc non facit Christus.

Quid uerò Christus efficit ex hoc Thoma?

Sanè efficit ex eo sanctißimũ uirum, beatißimũ Apostolum, imò certißimum testem suæ resurrectionis. Tarda eius fides plus nobis profuit, quàm exprompta Magdalenæ. Nam propior inspectio et contactio Thomæ in uulneribus Christi, tale ac tam solidum nobis iecit fidei fundamentum, ut deinceps nemo hominum bona conscientia de resurrectione Christi dubitare poßit.

Solicitudinem Christi pro suis discipulis unde cognoscimus?

Hinc curam Christi perspicimus. Quamuis enim Christus suam resurrectionem crebrò reuelasset, nempe Mariæ Magdalenæ, cæterisq; mulieribus, Petro, duobus discipulis, Emaunta iter facientibus, & uesperi undecim discipulis, Attamen quia Thomas non adfuerat, & resurrexisse ipsum credere

dere non potuit, apparet hîc iterum illius causa, ut ipsum adducat, ac planè talem se exhibet hîc Christus, qualem in parabola Lucæ 15. adumbrat. Vbi pastor relictis nonaginta nouem in deserto ouibus, & unicam & eam perditam ouiculam, it quæsitum, donec inueniat.

Quid dicit Thomæ?

Sic ait: Infer digitũ tuũ huc, & uide manus meas, & admoue manum tuam, & immitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed credens.

Quid respondit Thomas?

Dicebat Christo: Dominus meus, et Deus meus. quasi diceret: A me iudicaui te seruum omnium hominum, adeò enim te humiliasti, ut & pedes nobis lauares, insuper cæcis, claudis, surdis, mutis, leprosis, & paralyticis seruires, præterea te à Iudæis capi, illudi, conspui, & à gentibus flagellari, crucifigi, & occidi permisisti. Ibi tum nulla prorsus erat existimatio, aut alicuius Maiestatis argumentum, nunc autem agnosco per tuam resurrectionem, te esse Dominum & Deum meum, cui omnem honorem, timorem, & amorem debeo.

Quid ad hæc Christus ait?

Sic inquit: Quia uidisti me Thoma, credidisti: Beati qui non uiderunt, & crediderunt.

Hisce uerbis duo potißimum agit. Primum approbat fidem & confeßionem Thomæ, quòd postquam uidisset & contrectasset ipsum, non ampli-

us dubitet, sed firmiter credat. Atq; sic occultè uult taxatos, & Iudæos & gentes, præsertim Annam, Caipham, Herodem, Pilatum, Pontifices, Pharisæos, Scribas, & uniuersam Iudæorum turbam, qui sæpius uiderint & audierint ipsum, ac multi ex illis cum ipso ederint & biberint, nec tamen credant.

Secundò, commendat fidem totius Ecclesiæ, & omnium posterorum, qui tametsi Christum hic in terris corporeis oculis non uiderunt, neq; audierunt: tamen eam darent gloriam Deo, quòd eius uerbo, sacræ scripturæ, Euangelio Christi, quod dilecti Apostoli prædicarunt, & in uniuersum terrarum orbem diuulgarunt, crederent. Ideò Deus uicissim illis hunc habet honorem, & prædicat eos beatos, dicens: Beati qui non uiderunt, & crediderunt.

Quare Christus se non omnibus præbet conspiciendum?

Christus sanè non uoluit semper in hoc seculo singulis diebus, singulis nationibus, singulis urbibus, & pagis, singulisq; hominibus se uisibiliter conspiciendum & palpandum obijcere, sed selegit tantùm quadraginta dies post resurrectionem suam, in quibus uoluit se uisibilem & palpabilem ostendere, non tamen cuiuis, sed illis solùm, quos ab initio in hoc selegerat, præsertim Apostolis, qui ipsi testimonium perhiberent, non solùm Hierosolymis, ue-

rum etiam in uniuersa Iudæa, Samariaq́; deniq; ad extrema terræ &c.

In quo beatitudo igitur hominis sita est?

Quicunq; mortalium sanctis Apostolis & ipsorum successoribus Euangelium prædicantibus fidem habet, Iesum Christum esse filium Dei, in postremis temporibus ex Maria uirgine hominem natum, passum sub Pontio Pilato, mortuum, & sepultum, resurrexisse à mortuis, ascendisse ad cœlos, sedereq́; ad dextram Dei patris, inde uenturum ad iudicandos uiuos & mortuos, &c. seq́; præbet docilem, & obedientem mandato Christi, & uitam ex eo instituit, perseueratq́; usq; ad finem, is saluus erit.

Quem habet usum hæc historia Thomæ?

Hæc historia Thomæ infirmis in fide, perturbatis & afflictis Christianis, qui adhuc parum robusti sunt fide, in quibus fiducia in Deum tardè ad modum & difficulter sequitur, supra modum commoda est. Qui præterea multis tentationibus, aduersitatibus, persecutionibus, afflictionibus, infirmitatibus, ærumnis & calamitatibus circundati, nec certum est eis quid agant, quò ab incredulitate liberentur, fidemq́; consequantur. Ad hæc qui ignorant quomodo auxiliũ, et consolationẽ in cruce et afflictione concipiant, suumq́; cor et conscientiam

tranquillam reddant, ij hîc habent iucundißimum & plenum consolationis exemplum & imaginē in sancto Thoma, quam imitentur, fide se in Christum reijcientes, eiusq; se aduoluentes pedibus, diuina latera & sancta uulnera contrectantes, ipsum ut suum sacerdotem, qui peccata ipsorum expiauerit, mortis extortorem, Inferni deuastatorem, unicum saluatorem & seruatorem confiteantur. Tum eiusmodi confeßio idem prorsus illis conferet, quod D. Thomæ, & omnibus fidelibus electis attulit, Nempe Dei gratiam, fauorem, & misericordiam, peccatorum condonationem, & uitam sempiternam, Amen.

IN DIE STEPHANI SANcti Martyris, Euangelium, Matthæi XXIII.

DIxit Dominus ad Pharisæos, Scribas & principes Iudæorum. Ideò ecce mitto ad uos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & illorum aliquot occidetis, crucifigetisq;, & illorum nonnullos flagellabitis in Synagogis uestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, ut ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, usq; ad sanguinem Zachariæ filij

Barachiæ,

Barachiæ, quem occidiſtis inter Templum & Altare. Amen dico uobis, uenient hęc omnia ſuper generationem iſtam. Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquitur uobis domus ueſtra deſerta, &c.

ARGVMENTVM.

Crudeles animos Iudææ gentis Iëſus
Præcinit, in ſeruos diraq́; facta ſuos.

Quid hoc nobis Euangelium conſiderandum proponit?

Tria potiſsimùm: Primùm, beneficium Dei, *Iudeis præſtitum.* Deinde *ingentem ingratitudinem Iudæorũ. Tertiò, pœnã huiuſmodi ingratitudinis.*

Quid Chriſtus cum ingratis agit Iudæis?

Sanè agit quemadmodum fidelis medicus, qui habet ægrotum, quem impenſè curatum uelit, eius audacter contrectat uulnera, repurgans ea, infunditq́; uinum & oleum, & doctas ſuæ artis admouens manus, nihil non tentat. Ad *eundem modum Chriſtus ſolet.* Q*uando eius mortis & paßionis iam tempus inſtabat, Iudæos adhuc ſemel ſeu criſi*

mis dictis inceßit, cæcitatem, & contumaciam ipsorum illis exprobrans. Et quò ingratitudinis ipsorum eos admoneret, & coram toto mundo rubore suffunderet, ponit ob oculos illis tam præclara dona & beneficia diuinitus illis ab initio usque ad ultimam Hierosolymorum deuastationem collata.

Quid autem loquitur illis?

Sic infit: Ecce ego mitto ad uos Prophetas et Sapientes, & Scribas: & illorũ aliquot occidetis et crucifigetis: et illorũ nõnullos flagellabitis in Synagogis uestris, et persequemini de ciuitate in ciuitatem.

Quid dicis Prophetas?

Qui solo sancti Spiritus numine imbuti & afflati uaticinati sunt ac prædicarunt, ut Moses & Amos, & sancti Apostoli.

Qui sapientes dicuntur?

Qui non solùm ex Deo, uerùm per scripturas, & homines edocti, Dei uerbum prædicant, ueluti discipuli, qui & filij Prophetarum nominantur, ut Aaron, qui loquebatur à Mose imperata. Sic decet omnes esse ministros.

Qui sunt Scribæ?

Qui scriptis & libellis docent, ubi præsentes uoce alloqui non possunt, quemadmodum Euangelistæ & eorum succeßores.

Tantæ ne est molis & momenti eiusmodi mittere doctores?

Est

Est quidem amplissima & præsentissima Dei gratia, si quando Deus doctos mittit prædicatores. Rursus horrenda plaga & pœna, si tales non mittat. Ibi enim quasi ex fato magnam calamitatē et cladem sequi necesse est. Corporalis fames, sitis, & caritas, dirum est malum, sed ad spiritualem famem, de qua Prophetæ, Amos, Hieremias, Psalmus 59, dicunt, nulla comparatio.

Quid Amos de spirituali dicit fame?

Sic ait capite octauo: Ecce dies ueniunt, dicit Dominus Deus, & mittam famem in terram, non famem panis, neq; sitim aquarum, sed audiendi uerba Dei, & uagabuntur à mari ad mare, & ab Aquilone usq; ad Orientem discurrent, ut quærant Verbum Domini, & non inuenient.

Quid 59. Psalmus narrat?

Vesperi ululatus edent quasi canes, & in ciuitate sursum deorsum cursitabunt, uagabuntur ut comedant, & ululabunt non saturati. Ac si Dauid diceret: Cōtemptores uerbi Dei nullam hic sentiunt famem, sunt enim saturati humanis doctrinis. Appetente autem uespera, quando mors obeunda, & Dei iudicium ob oculos uersatur, consolationem quærent apud omnes creaturas, suis cogitationibus uagabundi discurrent paratum cibum, et multo desiderio uerbi Dei tangentur, sed frustra. Vbi autem Dei iram accensam, & suppliciū imminere

uiderint,

uiderint, nulla relicta consolatione, fremebundi plangent & indignabuntur, Deum *blasphemijs & maledictis prouocantes, & sic scipsos condemnabunt.*

Itane Iudæi increduli & ingrati erant homines?

Tanta erat ingratitudo, cæcitas & malitia in eis, ut ne unum quidem ex omnibus Prophetis, *qui optima quæq; docuisset eos, & libenter ad cælos uel humeris suis pertulisset, insontem & immunem à morte paterentur. Quoties obmurmurabant* Mosi? *Quoties lapidibus obrutum uolebant? Quomodo dilectos tractabant* Prophetas? *quorum aliquos lapidabant, alios medios uel serris scindebant, alios alio mortis genere è medio tollebant,* Deo *scilicet, qui omnibus bonis eos cumulabat, gratißimum cultum præstantes.*

Quæ Deus illis beneficia præstiterat?

Huc animum attendite. Noah *Patriarcham ipsorum è diluuio eripuerat,* Abrahamum *ab igne Chaldæorum,* Patres *eorum duxerat ex* Aegypto *per mare rubrum in desertum, cibauit eos* Manna, *& aqua ex petra potauit eos, uestes & calcei non uetustate atterebantur, duxitq; per* Iordanē, *& dedit illis in hæreditatem 31. regna, pugnauit pro illis contra omnes hostes eorum, propriam legem illis tradidit, certum ac singularem cultum instituit,*

stituit, misit Prophetas, extruit illis pulcherrimum templũ. Deniq; Deus suum misit filium, qui eos plus quàm tres annos docebat, eorum infirmos curabat. Et quum crucifixissent & interemissent eum, qui à mortuis resurrexit, & ad cœlos ascendit, cõcessum illis tempus quadraginta annorum ad pœnitentiam. Nec quicquam prætermissum, quod ad boni Saluatoris & Episcopi munus pertinet.

Vt audio, nunquam per Deum stetit, quò minus sal ui essent?

Sanè nunquam. Sed ipsi in causa, & autores sunt suæ perditionis, ut inquit Propheta Oseas: Israël tibiipsi malum accersis. Quemadmodum & Christus illis exprobrat, & dicit: Hierusalem Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?

Deus bone, quàm iucunda ac dulcis hæc est similitudo?

Profectò Christus uix aliam gratiorem inuenisset similitudinem: Videmus enim quomodo gallina suos pullos tuetur, tegit & alit. Ac uix aliud est inuenire animal, quod tanta suæ prolis afficiatur cura, atq; gallina: mutat enim suam naturalem uocẽ, & fingit querulam uocem, quum glocitat, quærit, uerrit, & colligit pullos: si quid inueniat, id non

deuorat ipsa, sed pullis obijcit, pugnat & glocitat cōtra miluiū: si quādo tempestas & frigus sæuiunt, extendit alas, & pullos sub se abscondit, tegit & fouet eos, simulq; sub & super se conscendere. Estq; reuera dulcis & blanda imago.

An Christus similiter nobiscum agit?

Planißimè non aliter. Ille nostra est gallina, & bonus pastor, qui assumpsit in se miserabilem uocem, nostramq; uicem conquestus est, & pœnitentiam prædicauit. Omnibus sua peccata et obuias calamitates summa fide ostendens. Pugnat et dimicat pro nobis contra omnes nostros hostes, extendit suas alas unà cum tota sua iustitia, merito et gratia, super nos, familiarißimè nos complectens, tuetur ac tegit, suoq; sancto nos fouet spiritu, saburrans in sacra scriptura, nosq; ad eam inuitans, suo uerbo & plenißimis consolatione dictis Prophetarum & Psalmorum pascit.

Quod in hoc casu nostrum est officium?

Nostrum est uigilare, & oculos in eum defixos habere, ut si quando tartareus Miluus circumuolitat, alis suis horrendum crepitans, ne Christi alas contemnamus, nec temerè extra castra expatiemur. Nam si ab infernali Miluo discerpimur, aut alioqui iacturam facimus, nemini præterquam nobis ipsis imputabimus.

Quomodo

Quomodo Deus Iudæorum ingratitudinem puniet?

Vtranq; minatur, & corporalem, & spiritualem pœnam.

Vbi spiritualem illis pœnam minatur?

Christus ait illis: Amen dico uobis, omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, usq; ad sanguinem Zachariæ, filij Barachiæ, qui occi. us inter templum & altare, super istam ueniet generationem.

Deus bone, id sanè intolerabile onus & graue iugum.

Admodum graue. Quia uerò Iudæi quoq; suum Meßiã in crucem egerunt, Stephanũ lapidauerũt, Apostolos expulerunt, atq; adeò se Dei uerbo indignos reddiderunt, coguntur fe re queq; omnem innoxium sanguinem, ab exordio mundi effusum, & ad nouißimum diem usq; fundendum.

In alijs ne peccatis eadem est ratio?

Eadem planè. Quicunq; autor est & caput nouæ doctrinæ, hæresis aut erroris, non solùm sua feret peccata, uerumetiam omnium hominum eo errore seductorum. Ita quoq; qui simplicem animam incrustat aut corrumpit, is omnia peccata & scelera ferat necesse est, quæ ex illa corrupta sequuntur. Perinde se habet quoq;, si quis furatur, latrocinatur, mentitur, dolos machinatur, bella & seditiones

seditiones mouet, dat stragem, ei omnia peccata sunt luenda, quæ malè proueniunt. Quid magis horrendum audiri aut dici posset?

Quisq; suos, sat habet, patiatur ut ordine, manes,
Non etiam infelix facta aliena luat.
Nemo suum bene onus poterit perferre grauatus,
Qui miser alterius crimina sustineat?
Sed uolenti non fit iniuria.

Vbi Deus præsentes in hac uita minatur pœnas?

Christus inquit: Ecce relinquitur uobis domus uestra deserta. Suprà templum suam domum dixerat, Matthæi 21. dicens: Domus mea domus deprecationis uocabitur, at uos fecistis eam speluncam latronum. Iam non amplius uult sibi dicatam, sed Iudæorum domum appellat: Vestra domus, inquiens, deserta uobis relinquitur.

An igitur has pœnas exoluerunt?

Sanè quidem: Bonus ille pastor pedum confregit, ut Zacharias ait, & oues errare sinit, Gallina alas contraxit, nec pullos amplius uult tegere, Deus suum ab illis uerbum abstulit, omnemq; gratiam & misericordiam subtraxit, In annis quadringentis supra millesimum, neq; Regem, neq; Prophetā, neq; Templum, neq; cultum habuere. Omne studium, totaq; forma Reipublicæ eorum terræ Canaan consignata & adscripta erat. Omnis religio & cultus eorum, res diuinæ & sacræ, Hierosolymis iuxta

iuxta præscriptum erant peragendæ. Quare omnes festiuitates, feriæ, ieiunia, Sabbata, circuncisio, & aliæ eorum Ceremoniæ iam sunt inanes & irritæ. Et impletum in illis dictum Psalmi 109. Dilexerunt maledictionem, quæ ueniet illis: benedictionem repudiarunt, & elongabitur ab eis Et dictum Psal. 68. Deus caput suorum inimicorum conquassabit, uerticemq; cæsariei eorum abradet. Caput unà cum caluaria comminutum, capilli crispi erasi, caput decaluatum, Regnum eorum, Pontificatus, Templum, diuinus cultus, & ceremoniæ finem habent. Et quidem superioribus seculis multos aduersarios passi, ut in Aegypto quadringentos annos, in Babylonia septuaginta, sed caput manebat integrum, & habebant ad minimum Prophetam aliquem aut Iudicem in populo. At nunc annos plus quàm mille quadringentos à patria, gente, Regno & ordine sacerdotali eiecti & expulsi, inq; uniuersum mundum inter hostes suos dispersi fuere.

Illi profectò miseri & calamitosi sunt homines.

Certè non miserabilior nec deploratior gens ulla in terris degit, quàm sunt Iudæi, nihil habent proprij, neq; certas sedes, neq; prædia &c. Non micam panis edunt, non filum pro indumento gestant, quæ non maledicta auaritia & usura sua furtim ac nequiter rapuerint. Ex meris furtis, rapi-

nis, ueluti principes furum, & Prouinciarum expilatores uictitant. Nullum Christianum superesse optarint: ac si nos, quemadmodum Basiliscus, intuitu interficere possent, non huc usque cessatum esset. Non deterior, pestilentior, crudelior, et immanior gens in terris est, atque illi sunt. Quando nos obuios salutant, maledicunt nobis, & tartareum imprecantur ignem: Calumniantur & blasphemant præterea Christum saluatorem nostrum, magum eum, maleficum & latronem appellantes, qui propter sua flagitia sit crucifixus. Atquehoc quotidie ab illis fit, ac sic instituunt liberos suos, ut idem faciant: ut nihil mirum uideretur, si fulgur ac tonitru, sulphur & gehennæ ignis eos in terram prostratos exureret, sicut Sodomis & Gomorrhæ euenit.

Quid ex hoc Euangelio nobis discendum?

Hoc maximè discamus, quæ & qualis pœna Iudæis indicta & inflicta est, ob ipsorum incredulitatem & ingratitudinem, eam & nos manere, si eorum mores & uestigia sequamur. Hoc enim certum est: Quicunq; Christum & uerbum eius persequitur & peruertit, is in se suscepit, Primum, omnium Iudæorum, Turcarum, Gentium, Pseudochristianorum & Hypocritarum impiam uitam, omnem scortationem, adulterium, libidinem, dedecus &c. omnem auaritiam, usuram, Simoniam, ut

uocant,

uocant, latrocinium, omnem sanguinem innoxium, ab eiusmodi Tyrannis & Christianicidis effusum, omnem abominationem & piaculum à religiosulis & hypocritis commissum, quæq; hodie designant suis impijs nulloq; sacræ scripturæ testimonio fundatis operibus, ac traditionibus à se excogitatis &c.

Secundò, eadem opera euellit (quod in ipso est) omne bonum, salutem, & felicitatem, quæ per Euangelion, & Dei uerbum ueniunt & præcipiuntur, impedit Catechismum, doctrinam puerorum, Decem præcepta, Articulos fidei, Orationem, Sacramenta, Tabulam œconomicam, Magistratus, Matrimonium, omnes libros Noui & Veteris testamenti. Opprimit omnes Pastores, ministros, discipulos, cum uxoribus & liberis. Christum de sede deturbat, & seipsum, Diabolum, aut hypocritica opera in eius locum sufficit. Sed dicto citius in oculi momento in gehennæ igni uoluitur. Qui uerò Christo addictus, & deditus est, eiusq; uerbo promouendo dat operam, & quæ ob id ferenda ueniunt, sustinet, is tandem consequitur gratiam, & deinde æternam gloriam, immortalemq; uitam, Amen.

IN DIE IOANNIS EVangelistæ, Euangelium, Ioannis ultimo cap.

DOminus dixit Petro: Sequere me. Conuersus Petrus, uidet illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine, quis est ille, qui te tradit? Hunc ergo cùm uidisset Petrus, dicit Iesu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Iesus: Si eum uelim manere, donec ueniam, quid ad te? tu me sequere. Exijt ergo sermo iste inter fratres, quòd discipulus ille non moreretur. Et non dixerat ei Iesus, non moritur: Sed: Si eum uelim manere, donec ueniam, quid ad te? Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de ijs, & scripsit hæc. Et scimus quòd uerum est testimonium eius.

ARGVMENTVM.

Dum de discipulo Petrus, quem Christus amabat,
Sollicitus quærit, se iubet ille sequi.

Quid in hoc Euangelio Christus tractat?

Potißimùm tria: Primùm, quòd ipsum sequi debeamus. Secundò, ut quisq; sua sorte sit contentus. Tertiò, discrimen fidei & operum. Estq; hoc Euangelium pulcherrimum colloquium Christi & Petri.

Quid

Quid est, quòd Christus quærit: Simon Ioannis diligis me?

Quandoquidem Christus Petrum Euangelij ordinaturus erat ministrum, uoluit primùm exploratum, quo erga se esset animo, an ex animo ipsum diligeret. Vulgare enim prouerbium est: Vt me amas, ut me familiariter complecteris, ita lingua tua de me loquitur.

Os inimici hominis rarò benedicere certat,
Verus amicus sed cuncta boniq; facit.

Cur autem tertiò quærit: Petre amas me?

Sic solet Deus cum suis dilectis agere filijs, primùm terrorem illis incutiens, ut non aliter existiment, quàm Deum totum flagrare & accensum esse aduersum eos, nihilq; gratiæ esse reliquum, aut ueniæ, idq; non ideò ut perdat, sed ut in fide eos probet. Sic fecit Abrahæ, cùm ipsum filiũ suũ Isaac iußit immolare. Et Dauid, cùm permittebat ipsum à suo filio Absolon regno exui & profligari.

Cur dicit: diligis me plus his?

Hoc illi uult dictum: Simon, quòd me maiori prosequeris amore cæteris, id haud immeritò facis, constat enim tibi ratio. Etenim ingentem tibi feci gratiam, plurima remittens peccata, siquidem grauiter lapsus & horrendo casu præoccupatus fueras. Cui igitur multa remittuntur peccata, is multum necessariò diligit.

Quid respondit Petrus ad tres has quæstiones?

Affectus mœrore graui fuit, indoluitq́; quòd tertiò Dominus illi dixisset: Petre amas me? ac respondit: Domine, tu omnia nosti, Notus amor meus est tibi, perspicis omnia, dixit.

Quid ad hanc responsionem Petri Christus addebat?

Quum Christus ex imo pectore depromptam eius haberet confeßionem, prædicandi munus, & curam animarum illi imponit, significans, qua ratione rem sibi gratißimam facturus, & maximam apud ipsum initurus gratiam, dicens: Pasce agnos meos, pasce oues meas: ac si diceret: Simon Petre, magno meas ouiculas precio redemi, nimirùm corpore & uita, adeoq́; haud paruo constant. Nollem profectò ullam uel infirmißimam perditum iri. Si me ergo unicè amas, scias te mihi rem gratiorem nullam facturum, quàm si eas Dei uerbo probè & bona fide pascas. Si uerò tibi in hac re exemplum uis dari, quod imitere, me uide, me consectator, satis tibi perspectum & auditum est, quomodo me in tali officio perfungendo gesserim, id consectator. Ostendã quoq; quid tibi pascenti & prædicanti eueniet.

Quid uerò dicebat illi?

Sic ait: Amen amen dico tibi, quum esses iunior, cingebas te, & ambulabas quò uolebas: quum autem

tem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non uis.

Quid Christus hisce sibi uult uerbis?

Hac similitudine uult adumbrare, qua morte Petrus glorificaturus esset Deum, nempe quòd in cruce animam efflaturus. Ideò addit: sequere me, ac si subiectum uelit: Quem ego sortitus euentum in prædicando & pascendo, eundem & tu expectes. Equidem prætuli tibi crucem, memento & sequere me.

Omnes ne prædicatores Euangelij iuxta hoc exemplum uocationis Petri, ad docendi munus uocentur?

Omnes Christiani cœtus scitè, & optimo iure ab hac Petri uocatione exemplum capiant, quod illis ex usu sit, nempe, ne quem ad prædicandi munus uocent, aut admittant, nisi prius satis & probè exploratum habeant, qua in Deum pietate, & religione sit affectus. Vtrum ueritatis an mendacij sit amator & cultor. Vtrum suum commodum & quæstum, an animarum salutem & felicitatem quærat. Vtrũ ex animo, an in gratiam hominum prædicet. Ne uoce aliud sonet, et aliud in corde premat, quemadmodum plurimi fecere, ac etiamnum multi simulant, ac dißimulant. Multi sedent à gubernaculis Ecclesiarum, habent opima sacerdotia, & magnos redditus, qui nunquam in hac uocatione

ſuas explent partes, nihil docent, non in concionem progrediuntur. Et ſi maximè concionem aſcēdant, de lana caprina uerba faciunt, uel dant potius: non prius Euangelium inſpiciunt per hebdomadam, quàm Dominicis diebus ad altare acceſſerint, nullam concionem mandant literis, imò ne per integrum quidem annum pennam atramento maculant, niſi cùm coloni ſiliginem, pecuniam aut cenſus afferunt, ut ſignum ſolutionis (Dedit) notent. Eiuſmodi negligentibus, ſtupidis, pinguibus et ineptis concionatoribus, qui non admodum curant, quò miſera rapiatur anima, totus mundus plenus eſt, & illi quidem in precio & honore habentur, ac requiruntur. Et Satan ſumma arte & diligentia eos promouet, quò tandem & prædicatores & auditores ſimul in Tartarum præcipitet, Digna ferent ſortes ubi præmia plurima uenturs.

Num hæc uerba ſoli Petro dicta, Sequere me: an pariter ad omnes in genere pertinent Chriſtianos?

Hæc quidem uerba non ſoli Petro, ſed omnibus Chriſtianis prolata. Nam quia Chriſtiani nuncupamur, à Chriſto nomen ſortiti, quem rectius ſequeremur, quàm Chriſtum Magiſtrum & Dominum noſtrum?

Quomodo Chriſtum ſectemur?

Quiſq;

Quisq; Christianus in sua uocatione Christum imitemur, in Doctrina, in Vita, & Morte.

Quo pacto in doctrina?

Ne quid aliud doceamus, prædicemus, & audiamus, quàm Christus doceri, prædicari & audiri præcepit. Sed Euangelion iussit prædicari. Matthæi & Marci ultimo, etiam Euangelion audiri, Mar. 8. Qui aliter docet & prædicat, et aliud audit, is non est discipulus Christi.

Quomodo Christum in uita consectemur?

Vt eius exemplo admoniti, pauperes simus in spiritu, mites, misericordes, pacifici, puri corde, impigri ad seruiendum, ad iuuandum, & consolandum proximum.

Qua uia in morte?

Vt crucem nobis diuinitus impositam, patienter feramus, pro inimicis nostris oremus, ut ipse docet, Lucæ 9. Si quis uolet post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.

An igitur omnes uocati sequuntur?

Quidam protinus sequuntur tantùm ad unam uocationem, ut Petrus, Andreas, Iacobus & Ioannes à piscatu, Matthæus à telonio, Zachæus ab arbore, Paulus à Iudaismo, & alij complures.

Quidam se excusant, ut ille Matth. 8. qui dixit

Christo: Domine permitte mihi prius, ut abeam & sepeliam patrem meum. Et ille Luc. 9. Permitte mihi Domine, prius, ut dicam uale ijs, qui sunt domi meæ. Et tres illi, Lucæ 14. qui ad cœnam uocati erant.

Quidam sequuntur propter suum commodum, & odorem lucelli, ut ille Matth. 8. Sequar te quocunque ieris. Cui respondit Iesus: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, at filius hominis non habet ubi caput reclinet.

An igitur hoc dictum: Sequere, adhuc ualet, & in usu est?

Sanè hoc dictum in Ecclesia propemodum obliteratum & obsoletum est, & ex Christiana pietate mera terguersatio & retrospectio facta. Nam Christum (qui ait: Qui me sequitur, non ambulat in tenebris) ex conspectu, oculis & animo dimisimus, & interea Benedictum, aut Franciscum secuti sumus, quorum neuter affirmare ausit, aut uerè dicere: Qui meum ordinem sequitur, in tenebris non ambulat.

Malum ne igitur antiqua uirtute fideque claros sequi Patres?

Per se quidem non datur uitio, si hac conditione & lege fieret, sicut D. Paulus docet: Estote imitatores mei, quemadmodum ego Christi: sed hic surdis canimus, & nemo annutitur. Nemo ferè suo officio, cui assignatus est, perfungitur, omnes curiosi alios

inspicimus

inſpicimus & curamus, ſicut hic Petrus de Ioanne quærit.

Quid ait ergo Petrus?

Quum Petrus uideret diſcipulum illum ſequentem, quem Ieſus diligebat, dicit Ieſu: Domine, hic autem quid?

Quid reſponſi tulit à Chriſto?

Dicit ei Ieſus: Si eum uelim manere donec ueniam, quid ad te? tu me ſequere. Quaſi diceret: Tu tuo fungitor munere, Ioannes ſuas haud dubiè partes habiturus. Tu tuarum rerum ſatage, & alienis ne te oneres curis. D. Paulus inquit, 1. Corinth. 7. Vnuſquiſque in ea uocatione, qua uocatus fuit, maneat.

An igitur quiſq; ſuam habet uocationem?

Maximè: Tu aut cum imperio, aut ſubditus es, uir aut mulier, pater aut mater, filius aut filia, ſeruus aut famula, concionator aut auditor, pædagogus aut diſcipulus, uirgo aut uidua: ſi te in aliquo horum inueneris ordine, ne te alienis curis onuſtū uelis, ſed tuæ uocationi ſis intentus, tua negotia diligenter expediens, & obiens munia, & futurū ab re tua non tantum tibi ocij ſit, aliena ut cures, ſed tot diſtrictus & occupatus curis tuis, facilè delebis aliena. Cuiuſq; uocationem in Tabula œconomica inuenies,

Sed

Sed respondes: Christum imitari nequeo, cæcis uisum restituere, aut alia ædere miracula non possum, neq; pro conditione docere, quemadmodum Christus?

Non iußit Deus nos ædere miracula. Si neque prædicare poteris, auditorem te præbeto. Qui concioni faciles præbet aures, & is præstat obsequium & cultum Deo. Siquidem nullo auditore existente, ne ullus quidem concionator esse posset. Imò si desit quoq; auscultandi facultas, uel aliqua pars auditorum esse debeas tua præsentia, Verbum cohonestans. Non est exigua gratia Dei, gaudere interesse cœtui Deum laudanti & confitenti, id quod ueteres ardentißimis sæpe uotis expetiere, sicut 42. Psal. dicit: Optarim transire in numero, & pergere ad domum Dei in uoce exultationis & confeßionis, & cum turba festinante. Et Psal. 122. Lætatus sum in his quæ dicta sunt ad me, In domum Domini ibimus. Qui in cœtu est, in quo Dei laus celebratur & resonat, is fit particeps omnis laudationis, gratiarum actionis, quæ ibi Deo exhibetur. Absurdi & indigni nomine Christiano sunt ij homines, qui cùm suo Deo gratum præstarent cultum solùm audiendo, nec præstant tamen. Cùm tamen ad extrema mundi festini discurrere deberent, si aliquẽ cœtũ cognouissent, qui Deum laudib. ueheret & coleret. Ante hæc tempora

in diuersa loca percursum fuit, ubi nihil de Christo pro concione docebatur: Iam cùm Christus cum uniuersa sua gratia ostiatim se nobis offerat, grauamur quidem uel limen egredi, aut pedem extra limina ponere. Quid Deus tam fastidiosis, ignominiosis, & salutis suæ adeò negligentibus, aliud faciat, quàm ut sua ingratitudine obstinatos reddat, & meris mendacijs, erroribus obruat & demergat. Volenti non fit iniuria.

Quid ergo ex hac discamus historia?

Primùm, quòd (etiam præteritis & dißimulatis omnium sanctorum exemplis, dogmatibus & moribus) omnis Christum profitens debet Christum sequi, suæq; uocationi sedulò operam dare, eamq; curare. Eò, proh dolor, uentum fuerat, ut dilecti Sancti Christo nullum locum cederent. Omnia templa, omnia sacella, monasteria occupârunt, & quid quisq; sanctorum fecerat, & quomodo uitam duxerat, his nemo non applaudebat, imitari eos studens absq; discrimine, adeò ut tandem simiarum naturam induerimus. Secundò, quisq; sua sorte contentus sit, & alijs non succenseat, aut inuideat, si plures aut maiores à Deo dotes & benedictiones acceperint. Vulgatißimus hic morbus est in toto orbe terrarum, quòd nemo suam gratiam boni consulit, bene dicit & facit. Ita comparatum est, ut semper nostri nosmet pœniteat. Quilibet miratur

&

& persuasum habet proximi sui statum esse commodiorem. Hinc:

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.
Et: Fertilior seges est alieno semper in aruo,
Vicinumq; pecus grandius uber habet.

Ideò satietas eum capit suæ uitæ & ordinis: Si in matrimonio est, cupit esse solutus: si liber agit, cupit contrahere: & tale fastidium cuiq; suam uitam difficilem & molestam reddit.

An non igitur Deus sic agat cum hominibus, ut sua sorte sint contenti?

Si maximè Deus concederet, ut quisq; suum statum & uitæ rationem pro suo uoto & libito mutaret, tandem tamen tædio eius afficeretur, & suo delectaretur studio.

Quidam putârunt, si omnium hominum mala in unum congesta aceruum, quæ & distribuenda ex æquo essent, quenq; tamen suum potius retenturum, quàm ut fortunæ aleam experiatur. Adeò ex æquo Deus moderatur mundum, ut maximas uirtutes turpissima æquent uitia, & summa dona non careant inuidia. Cùm filij Israël in Aegypto agerent, cupiebant exire: cùm educti essent, rursus eò redire appetebant. Ea mundum uexat stultitia. Quisq; suum malum prius sentit, & aliorum rem & fortunam suspicit. Si quisq; in suam fortunam et aliorum incommoda oculos intenderet, Deo sæpe

prolixè

prolixè gratias ageret, & tranquillißimo animo sua sorte contentus esset, quamuis etiam difficilimè ageret.

Crede mihi, bene qui latuit, bene uixit, et intra
Fortunam debet quisq; manere suam.

Quid significant Petrus & Ioannes?

Petrus significat eos qui operibus salutem parare quærunt: Ioannes uerè pios & religiosos, qui super pectus Christi recumbunt. Iis reuelatur quoque, qui lupi, animarum carnifices, & Iudas, siue quæstores auari, seu quæstuarij sint, qui uentres & uoluptarij diuinæ accumbentes mensæ, sed meros intinctos edunt bolos, hoc est, habent quidem Verbum Dei, deprauant autem, fuco illud oblinunt, uerum sensum peruertentes, & alienam interpretatione uendunt. Christiani sui Magistri Christi memores sint, à quo nomen habent, eum sequantur. Certè suos filiolos non in malum ducet diuersorium, sed in suum regnum, in æternam uitam, Amen.

IN DIE INNOCENTIVM *puerorum, Euangelium, Matth. II.*

ECce angelus Domini apparet in somnis Ioseph, dicens: Surge & assume puerum ac matrem illius, & fuge in

Aegyptum,

Aegyptum, & esto illic, donec dixero tibi. Futurum enim est, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Ille uerò excitatus, assumpsit puerum, & matrem eius noctu, & secessit in Aegyptum, & fuit illic usq; ad obitum Herodis, ut perficeretur quod dictum fuerat à Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto uocaui filium meum. Tunc Herodes ubi uidit sibi illusum fuisse à Magis, indignatus est uehementer: ac missis satellitibus interfecit omnes pueros, qui erant Bethlehem, & in omnibus confinibus Bethlcemiticis, quotquot essent bimuli aut maiores, iuxta tempus quod exactè cognouerat ex Magis. Tunc perfectũ est, quod dictum fuerat ab Hieremia Propheta, cùm ait: Vox in excelso audita est, lamentatio, ploratus & fletus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolationem admittere, propterea quòd non sint.

ARGVMENTVM.

Heu miseri infantes pereunt Herodis ob iram,
Eripit his Natum sed Deus ipse suum.

Quid hoc Euangelium nobis discendum proponit?

Potißimùm

Potißimùm tria: Primùm Herodis regis Tyrannidem: Secundò fugam Christi in Aegyptum: Tertiò, paternam curam Dei Patris.

Quomodo Herodes ad regnum uenit?

Herodes regnum Iudæorum à Cæsare Augusto magna pecuniæ summa emerat, & plusquàm triginta annos cum Iudæis bella gesserat, priusquàm sibi subijceret, & obedientes redderet, adeò inuiti & grauatim alienum admittebant Regem. Et quã quam Iudæos ui subegerat, nihilominus perpetuo in metu erat, & uerebatur ne quis ex regia stirpe Dauidis reliquus esset, qui ipsum temporis successu regno expelleret.

Quomodo Herodes se gesſsit in Regno Iudæorum?

Veluti sæuißimus Tyrannus & sanguinarius. Etenim Hircanum et eius filios, omneq; regium semen interimi curauit, genealogias cremandas dedit: Ac suam quidem sororem Salome, unà cum eius marito, qui Iudæus erat. Similiter & proprium filium, quem ex Iudaica muliere susceperat, interfici curauit. Effundebatq; supra modum multum innocentis sanguinis, unde tantum odium sibi conciliabat, ut ne ad unam horam quidem tutus esset, perpetuò metuens aliquem ex regis semine proditurum, qui ipsum tanquam alienum et ut obtrusum Regem ac Tyrannum à solio præcipitaturus,

& in malam rem profligaturus. Et eo maximè tempore cùm in tali metu & solicitudine uersaretur, nascitur Christus Bethlehem, & Magi ab Oriente Hierosolymam ueniunt, quæsitum nuper natum Regem, dicentes, se uidisse eius stellam in Oriente, & uenisse ut adorarent eum. Quibus auditis Rex Herodes turbatus est, & tota Hierosolymorum urbs cum illo.

Cur Herodes turbatur?

Impiorum hic mos est, cùm imminet fatale exitium, tum incipiunt furere, exercere tyrannidem, & expauescere: sentiunt enim temeritatis sesuæ & tyrannidis pœnas daturos, neq; tamen consilium ineunt emendandæ uitæ, uerùm tantùm deteriores fiunt.

Cur Hierusalem turbatur?

Herodis tyrannidem & Romanorum potentiam iam ad triginta annos senserant, neq; diutina pace interea temporis freti, si nunc denuò nouum Regem habituri, multo id constiturum sangume uerentur. Ac uerisimile est Iudæos in gratiam Herodis metum simulasse.

Quid facit Herodes in tali metu constitutus?

Conuocatis omnibus Pontificibus & Scribis populi, percontatus est eos, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudææ, ex uaticinio Mich. 5 capite, signato. Deinde accersitis clàm

quoq;

quoq; Magis, perquisiuit accuratè ab eis, quo tempore stella apparuisset. Cognito iam tempore & loco, iussit Magos ire in Bethlehem, & dixit: Profecti illuc accuratè inquirite de puero. Vbi uerò repereritis, renunciate mihi, ut & ego ueniam, & adorem illum. At illi audito Rege profecti sunt in Bethlehem, repereruntq; puerum cum Maria matre eius, & prostrati adorauerunt illum, & apertis thesauris suis, obtulerunt illi munera, Aurum, Thus, & Myrrham.

Num Magi ad Herodem reuertuntur?

Non sanè: Diuino oraculo admoniti in somnis ne iter tenderent ad Herodem: ac per aliam uiam reuersi sunt in regionem suam. Herodes autem ubi uidit sibi illusum esse à Magis, uehementer indignatus, ac missis satellitibus interfecit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, quotquot essent bimuli, aut maiores: secundum tempus, quod exactè cognouerat ex Magis.

Quid adeò Herodes suo Regno à Christo timebat?

Sanè quidem non fuisset opus, non enim uenerat ut terrenum regnum institueret, qui in sua manu habeat regnum cœlorum tribuere. Cùm enim Iudæi ipsum rapturi ut Regem facerent, fugit ab illis. Sic ait quoq; Pilato: Suum regnum non esse de hoc mundo.

Cur ergo adeò sæuit Herodes præter causam?

Infernus illi tanti redimendus erat, & in malo crux quærenda. Et iuxta prouerbium, ὀλέθρου οὐδεὶς λόγος*. Hoc in fatis habent Tyranni plerunq;, cùm iam occasuri: & quò plaga Dei illis propinquior, hòc insolentius, pestilentius, & immoderatius se gerunt. Deus enim adimit, & scelera non admittunt consilium. Ita faciebant quoq; homines ante diluuium, quò magis Noah admonebat, hòc peiores & deteriores indies fiebant. Ad eundem modum & ciues Sodomitici miris crucibus, sannis & pugnis exagitabant Lothum, omnes eius fidelißimas admonitiones despicientes, donec funditus perierunt. Sic quoq; Pharao admonitionibus Mosi subinde magis magisq; impensè obduratur, donec cum uniuerso suo exercitu in mari rubro claudebatur. Hierusalem prius Christum Dei filium crucifixit & occidit, quàm deuastaretur, & in solitudinem redigeretur. Sic Herodem oportuit furijs prius & intemperijs agitari, quàm Cerbero obijceretur, & ad generum Cereris descenderet.*

Nihil ne profuerunt illi callidißima eius consilia?

Nihil prorsus: summa diligentia quærebat à scribis locum, & à Magis tempus natiuitatis Christi, totq; millia innocentum puerorum, in Bethlehem

&

& confinibus eius, interemit & trucidauit, totq;
& tam multos in mœrorem & animi dolorem
coniecit miserrimos parentes & cognatos, ut uel
saxa in misericordiam mota fuissent, uel Tigrides
de Caucaso. Attamen Christus recens natus Rex
Iudæorum eripitur ac liberatur, suumq; cursum
perficit & officium, cui à Patre aßignatus fuerat.
Et nihilo secius Titulum retinebat, quem Pilatus
illi inscripsit: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.

Quomodo autem natus Rex Christus euadit?

Angelus Domini apparet in somnis Ioseph, dicens: Surge, & assume puerum ac matrem illius, et fuge in Aegyptum, & esto illic, donec dixero tibi. Futurum enim est, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Ille uerò excitatus, assumpsit puerum & matrē eius noctu, et secesßit in Aegyptum, & fuit illic usq; ad obitum Herodis, ut perficeretur quod dictum fuerat à Domino per Prophetam, qui sic infit: Ex Aegypto uocaui filium meum.

Quare Deus pater Christo statim ab incunabulis crucem imposuit?

In primis statim annis crucem ferre cœpit, persecutionem passus, & in exilium eiectus est, quò significaret suum regnum non esse de hoc mundo, & exemplo esset nobis, Euangelicam uitam non aliud esse, quàm crucem & afflictiones, & quòd

oporteat nos prius cum Christo pati, *quàm dominari.*

Nunquam etenim moderator erit, qui nõ didicisset
Præstare obsequium, quod docet esse pium.

Nullo ne alio pacto pater Christum incolumem seruare potuit, nisi in Aegyptum fugisset?

Absit: Vel uno uerbo Herodem *coërcuisset, & ipsum unà cum toto eius regno in profundam abyssum inferni deturbasset, sed non uoluit.* Tyranni *suæ tyrannidis insigne aliquod specimen prius edant oportet, & grauiter incurrant, quàm præcipites demur.*

Cur Christus in Aegyptum profugit?

Ob duas causas: Prima est, ut scriptura impleretur, cùm Propheta Oseas *dicit:* Ex Aegypto *uocaui filium meum.* Altera, *ut reipsa ostendat se Iudæos propter ipsorum incredulitatem & ingratitudinem deserturum, & gentes accepturum, suoq; in loco* Herodem *illis relicturum.*

Ea periculosa commutatio erat.

Sanè incommoda: Regem *cœlestem amittebant* Christum, *& sanguinolentum* Regem Herodem *retinebant, qui ne suis quidem liberis pepercit, sed miserabiliter trucidauit, ut* Cæsar Augustus *solitus sit dicere, se malle* Herodis *suem, quàm filium esse.*

Quid

Quid autem animi fuit Ioseph & Mariæ?

Hæc fuga in terram Aegypti non leuis aut exigua illis crux fuit: uix è Bethlehem & Hierosolymis domum uenerunt, suamq; rem domesticam in Nazareth procurauerunt & disposuerunt: continuò aderat Angelus Domini, & rursus iubet peregrinari, tum coguntur fugam facere in ignotam regionem, & sic innocens Christus sanguinis sitientissimo Tyranno Herodi cedere.

Vnde sumptus faciebat in itinere & Aegypto?

Deus nouit suis optimè prospicere & consulere, Magos propterea oportebat Christo aurum offerre, ut ad hoc iter sumptus suppeterent.

Vnde cognoscimus paternam solicitudinem?

Sic inquit Matthæus: Defuncto Herode Angelus Domini in somnis apparet Ioseph, in Aegypto, dicens: Surge & assume puerum & matrem eius, & uade in terram Israël. Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri: At ille surgens assumpsit puerum et matrem eius, & uenit in terram Israël etc. Scitum exemplum & elegans illud est paternæ pietatis: Deus curam agit suorum, ac sinit quidem uarios casus ac grauia pericula experiri & sentire, atque se uidere dißimulat. Attamen malo ingrauescente & inualescente, adest, & dexteram por

rigit saluificam. Sic liberauit Noah à diluuio, Lothum ab exitio Sodomorum, filios Israël ex Aegypto, Dauid à Saule, Heliam ab Isabella, Magos ab Herode, Petrum ex carcere Herodis, Paulum è manu Iudæorum, etsi quadraginta se deuouerant, se ne cibum quidem sumpturos, nisi Paulo extincto, dextera tamen Dei adiutus euasit. Sic quoq; Deus Athanasium mirabiliter ab Arrianis liberauit. Nouit enim Dominus qui sint sui, 2. Timoth. 2. Ita quoque hîc Pater pro suo dilecto solicitus est filio Christo, reducemq; facit ex Aegypto in Iudæam & Galilæam, in ciuitatem Nazareth, ut impleretur uerbum, quod dictum est: Nazarenus uocabitur.

Quid discendum, quòd pueri loco Christi interficiuntur?

Quòd nemo in regnum Dei perueniet, nisi similis fiat paruulis innocentibus pueris. Sicut Christus inquit Matthæi 18. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueri, non ingrediemini in Regnum cœlorum.

Cur in Bethlehem & in omnibus finitimis locis?

Quòd persecutio Christi per omnes regiones grassatura usq; ad mundi terminos, sicut & factum est.

Quid est quòd pueri interficiuntur, & Christus liberatur?

Quòd

Quòd Tyranni & Euangelij hostes corpus quidem, sed animam nequaquam extincturi, ut Christus ait Matthæi 10. Ne metuatis uobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed metuite magis illum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.

Quid est quòd Herodes adeò Edomites pueros interfici curauit?

Quòd eius posteri Turcæ miseros & innocentes Christianos absque ulla misericordia trucidaturi.

Cur adeò sub Romano Imperatore Augusto?

Quòd sub Romano imperio plurimi Christiani martyrio coronantur & occiduntur. Vt enim ueteres Chronicorum libri primitiuæ Ecclesiæ ostendunt, sæpe uno die in Romano Imperio plus quàm 50.60.70.90. millia Christianorum Martyrij coronam acceperunt. Ac affirmare audent, quòd uno die in Romano Imperio sexies centena millia Christianorum sublata & necata fuerint. Et sperandum Romanorum imperium in nouissimo die, plus quàm uicies centena millia martyrum Deo traditurum.

Cur Christus Herodiano furori & iræ cedit?

Vt nobis exemplum præstet, si citra Euangelij

damnum & ignominiam fieri poßit, licere persecutionem & Tyrannidem effugere. Sicut & Christus inquit, Matthæi 10. Si uos in una ciuitate persecuti fuerint, fugite in aliam.

Quid est quòd Christus post obitum Herodis ex Aegypto redit?

Significat ueritatē Dei quidem ad tempus labefactari & persecutionem pati, sed opprimi non posse: Scriptum est enim Psal. 17. Veritas Domini manet in æternum, & Esaiæ 40. Verbum Dei manet in æternum.

Cur non in Iudæam, uerùm in Nazareth proficiscitur?

Ne carnalibus hominibus, & à pietate omnino alienis, contemptoribus Dei, Euangelium Christi prædicemus, iuxta illud Christi Matthæi 7. Ne detis quod sanctum est canibus: ne proieceritis margaritas uestras ante porcos, ne quando hi conculcent eas suis pedibus, & uersi in uos lacerent uos.

Quid igitur ex hoc Euangelio doctrinæ hauriamus?

Hoc præsertim discendum: Quemadmodum Christo Domino hic in terris usuuenit, & accidit, sic non pudeat Christianū, si eadem ferenda illi uenerint. Nostri causa in hunc miserum uenit mundum, ut nos ad cœlos subueheret. Homo factus est, ut nos filij Dei fieremus: pro nobis crucifixus &

mortuus,

mortuus, ne nobis crux, afflictio, mors grauis & laboriosa esset. A morte resurrexit, ad cœlos ascendit, ut nos à peccatis expergiscceremur, & in gratiam, immortalem uitã agamus. Crux, dolor, paßio, persecutio, sunt insignia & Symbola in regno Christi. Quem eius coloris pudet, is & Regem abdicet aut neget, imò & Deum uicißim illius pudebit in nouißimo die, tum unicuiq; dabit iuxta facta sua, siue bona siue mala fuerint. Ibi tum iustus iudex Christus Dei filius primum homicidam Cain, cum omnibus sectatoribus eius, Pharaonem, Antiochum, Herodem &c. raptos & in fasciculum constrictos in Tartarum detrudet, ut æternum ibi urantur & torqueantur: sed electos & dilectos suos filios, quos sanguinolenti Tyranni innocenter occiderunt, ut Abelum, Stephanum, Paulum &c. & eorum successores martyres, & pios Christi professores, secum in suum regnum, in sempiternam ducturus uitam, Amen.

IN OCTAVO DIE ΕΠΙΦΑΝΕΙΑΣ, de Baptismo CHRISTI, Concio ex Euang. Matthæi 3. cap.

TVnc accedit Iesus à Galilæa ad Iordanem, ad Ioannẽ, ut baptizaretur ab illo: At Ioannes prohibebat illum, dicens: Mihi opus est, ut abs te baptizer,

&

& tu uenis ad me? Respondens autem Iesus, dixit ad illum: Omitte nunc, sic enim decet nos, ut compleamus omnem iustitiam. Tunc omittit illum: Et baptizatus Iesus, ascendit protinus ab aqua. Et ecce aperti sunt illi cœli, & uidit spiritum Dei descendentem tanquam columbam, & uenientem super ipsum. Et ecce uox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene placitum est.

ARGVMENTVM.

Suscipiens Christus manibus baptisma Ioannis,
Consecrat exemplo sancta lauacra suo.

Quid hoc nos Euangelion docet?

Maximè tria: Primùm quomodo Christus à Ioanne baptizatus est. Deinde, quæ ingentia ibi sint edita miracula. Tertiò, quæ Baptismi utilitas.

An Baptismus Ioannis quoq; à Deo erat?

Sanè uerò: Sic enim Lucas scribit 3. cap. Factū est uerbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et uenit in omnem regionem finitimam Iordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ in remißionem peccatorū, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ 40. ca. Et ipse quidem fatetur, Ioan. 1. Qui me misit ut baptizarem aqua, is mihi dixit: Super quem uideris spiritum descenden-

descendentem ac manentem super eum, hic est, qui baptizat spiritu sancto. Atq; in hoc quidem missus erat Ioannes, ut prædicaret baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

Quis status huiusce concionis?

Inquit: Pœnitentiam agite, Regnum cœlorum appropinquauit.

Quibus hanc Concionem habebat?

Non Gentibus, sed Iudæis, imò illis, qui omnium sanctissimi uidebantur, & tantum sibi arrogabant sanctimoniæ, ut cæteros contemnerent.

Num qui homines accedebant qui ab ipso baptizarentur?

Egressa est ad illum (inquit Matthæus) Hierosolyma, & tota Iudæa, totaq; Regio undiq; finitima Iordani. Et baptizabantur ab illo in Iordane, confitentes peccata sua.

Num Iudæorum proceres & principes ad eum quoq; ueniebant?

Sanè uerò: Multi ex Pharisæis & Sadducæis ad eius baptismum ueniebant.

Quid illis dicebat?

Dixit illis Progenies uiperarum, quis uobis submonstrauit, ut fugeretis à uentura ira?

Facite igitur fructus qui deceant pœnitentiam, nec sitis hac mente, ut dicatis intra uos ipsos: Patrem habemus Abraham. Dico enim uobis, quòd possit

poßit Deus facere, ut ex lapidibus his, filij surgant ipsi Abrahæ. Iam uerò & securis ad radicem arborum posita est. Omnis igitur arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur.

Quid turbis dicebat?

Cùm interrogarent illum, dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens dixit illis: Qui habet duas tunicas, impertiat non habenti, & qui habet escas, similiter faciat.

Quid publicanis dicebat?

Dixit ad eos: Ne quid amplius, quàm constitutum est uobis, exigatis.

Quid militibus respondebat?

Ait illis: Neminem concutiatis, & ne quem calumniemini: Contentiq; estote stipendijs uestris.

Quam populus de Ioanne existimationem habebat?

Expectante populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, num ipse esset ille Christus, Respondit Ioannes dicens uniuersis: Ego quidem aqua baptizo uos, sed ueniet fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum, ipse uos baptizabit Spiritu sancto, & igni Cuius uentilabrum in manu ipsius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

Sicne Christus ueniebat, quemadmodum Ioannes dixerat?

Sic scribit Matthæus: Tunc accedit Iesus à Galilæa ad Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab illo. At Ioannes prohibebat illum, dicens: Mihi opus est, ut abs te baptizer, & tu uenis ad me? Respondens autem Iesus, dixit ad illum: Omitte nunc, sic enim decet nos, ut compleamus omnem iustitiam: tunc omittit illum.

Res sanè admiranda hæc est.

Admodum admirabilis. Princeps Sacerdotum & Scribæ pleni peccatis & damnatione, immunes uolunt esse à peccato, neq; baptismo immergi. Sed Christus qui uerè alienus à peccato, quiq; solus hoc celebratur nomine, quòd nullus in ore eius dolus sit inuentus, is uenit & uult à Ioanne baptizari.

Quamobrem autem?

Non pro se suaue persona, sed nostri gratia Christus hic in nostrum locum succedens, uitiosæ nostræ carnis formam suscipiens, maximus peccator reputatur, qui totius mundi peccata in se suscipit & tollit. Ea quidem baptismo immergit, & à se abluit, imò ab omnibus nobis, quorum illo loco personam gessit, ita ut in nostro baptismo demergantur, & absorbeantur. Vnde dicit Ioannes: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Si Christus est agnus Dei, haud dubiè sanctus, purus, & innocens est. Si peccata mundi gestat, necesse est insignem

esse peccatorem. Quemadmodum & Iesaias ait, 53. Dominus omnium nostrûm peccata in eum coniecit. Quicunq; hoc credit, sua & totius mundi peccata Christo imposita, ipsumq́; propterea baptizari uoluisse, crucifigi, & sanguinem suum effundi, ut illum à peccatis purgaret, probum, iustum & saluum faceret, is habet remißionem peccatorum, & æternam uitam. Christi baptismus, crux, paßio & mors illi propria dicata & consecrata sunt.

Quæ magnifica miracula Dei in Baptismo Christi sunt ædita?

Sic extat apud Matthæum: Et baptizatus Iesus ascendit protinus ab aqua: & ecce aperti sunt illi cœli, & uidit Spiritum Dei descendentem tanquam columbam, & uenientem super ipsum, & ecce uox de cœlis, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi beneplacitum est.

An hæc quoque uisu horribilia fuere?

Non sanè: Non hîc tam horrenda facies ut in monte Sinai, ubi ingens, densa & tenebrosa tempestas & nubes erant, immane fulgur, & stupenda tonitrua, tubæq; clangor horrendum sonabat, uniuersus mons fumabat, & ardebat ad medium usq; cœli, ut filij Israël gradum referrent, & Deum ex flamma loquentem audire non possent. Sed hîc omnia placidè, magnificè & beneficè geruntur, Cœlum

lum panditur, apparet ibi tota diuina maiestas, & Sancta Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Pater familiarissimè & suauissimè loqtur: Hic est Filius meus dilectus. Filius adest in nostra carne, & se baptizandum exhibet propter nos: & Spiritus sanctus descendit super ipsum in uisibili forma columbae.

Cur id adeò factum est?

Hoc totum propter nos factum aut scriptum est, ut sacrosanctum Baptismum magni aestimemus, & summo honore habeamus, quando uidemus & audimus, cum non solùm à Christo institutum, & ex illius mandato tradendum, uerumetiam à suo ministro Ioanne ipsum baptizandum esse Dominum, qui se immergit aquis, pertingitq; sancto suo corpore, ut nobis salutare balneum sanctificet, consecret, & benedictione cumulet. Nullum igitur nobis sit dubium, ubi & quando Baptismus secundum institutionem & mandatum Christi traditur, quin coelum apertum sit, totaq; sancta Trinitas praestò adsit, ac ipsa baptizet.

Quid ad Sacramentum Baptismatis requiritur?

Tres partes: Prima, pura & natiua aqua, non uinum, cereuisia, arena, aut paleae. Secunda pars, Verbum Dei, & promissio, aquae addita. Tertia, diuinum mandatum, & institutio. Hic Anabaptistae perperàm agunt, quòd in Baptismo nudam tan

tum aquam intuentur sine Dei uerbo, Atq; sic ex Baptismo inane & merum signum efficiunt, non secus atq; oues signari solent. Hoc autem uerum est, Si uerba Christi, Matth. ultimo capite notata, (Euntes in uniuersum Mundum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti) ad aquam accedunt, non amplius simplicem esse aquam, sed sanctam, diuinam, & salutarem aquam, imò lauacrum regenerationis, quod omnes, quotquot in eo lauamur, ab omnibus expurgat peccatis. Præterea Dei mandatum oportet adesse. Nostra enim interest scire, quis Baptismi institutor sit, quis eum ordinauerit, & tradi iusserit. Atq; hæ tres partes, uisibile elementum, Dei uerbum, & promissio, elemento adiuncta, diuinum deniq; mandatum, constituunt integrum Sacramentum.

Quæ est utilitas Baptismi?

Vtilitas & fructus Baptismi est, ut baptizatum saluũ faciat, iuxta illud Christi, Marci ultimo: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Eam enim habet uim Baptismus, ut, quemadmodũ ab Adã & Eua propagati, in peccatis concipimur et nascimur ad momentaneam hanc uitam, & damnamur ad Orcum ac æternam mortem: Sic per Baptismũ in Christo renascimur ex uirtute sancti Spiritus, ad iustitiam & æternam uitam. Quum prius filij Satanæ, iræ, et æternæ mortis eramus, ut per Baptismum

ſimum filij Dei, gratiæ, et immortalis uitæ fieremus. Baptiſmus enim nos repurgat ab omni hæreditario morbo, & denuò extra noxam in innocentiã nos ponit, ut immunes à peccato in nouiſsimo die reſurgimus, puriores & formoſiores ſole, & corpore et anima iuſti, ſempiternam ſortituri uitam.

Vnde Baptiſmus tantam habet uim?

A Saluatore noſtro Ieſu Chriſto, qui ipſe ſua præſentia Baptiſmum honeſtauit, decorauit, & ſuſcepit, quum annum ageret trigeſimum, eo ipſo tempore, quum iam ſuum aggreſſurus eſſet officium, ad quod à Patre deſtinatus et miſſus erat. Hîc enim Baptiſmo Chriſti uetus Teſtamentum finem habet, et incipit Nouum. Ad triceſimum uſq; annum Chriſtus ſuæ matri fuit morigerus, et ſubditus: Hîc nunc illi ualedicit, & abit ad Iordanem, perinde ut alius homo ſe oſtendit, & mergitur Baptiſmo: Hîc initiatur & conſecratur in Sacerdotem, & ungitur in Regem Iſraël. Pater quidem per Prophetas eum curauerat prædici: Hîc eius perſonam ab Ioanne monſtrari digito uoluit, imò ipſe ei teſtimonium de cœlo perhibet. Id omne factum, quò nos certi & ſecuri eſſemus, hunc Ieſum Nazarenum uerum eſſe Meſsiam, uerum Chriſtum, Mundi redemptorem & ſaluatorem.

Quid Ioannes Euangeliſta de Baptiſmo dicit?

Ioannes Euangelista peculiarem sequitur rationem loquendi de Baptismo, dicens 19. capite, Baptismum esse aquam sanguini Christi commistam, quae ex latere eius manârit. Et 1. Ioannis ultimo capite: Hic est qui uenit per aquam & sanguinem, IESVS Christus. Hic amabilis Ioannes interiores & spirituales nobis uult aperire oculos, ne in Baptismo modò aquam, uerumetiam sanguinem Christi intueamur. Qui enim Baptismum fide sibi applicat, perinde habet, ac si uisibiliter sanguine Christi lauaretur, à peccatisq; mundaretur. Remißionem enim peccatorum non consequimur per nostra opera, aut merita, sed per Christi mortem, & sanguinis effusionem. Eiusmodi remißionem ponit ac recondit Christus in Baptismum. Sed enim hic sanguis non facinorosi hominis sanguis est, neq; occisi tauri, aut capri sanguis, sed innocens, iustus et sanctus est sanguis, nempe immaculati agni Dei: sanguis gratiae et uitae. Ideoq; tã acre sal et smigma habet, ut ubicunq; peccata, sordes, & immunditiem inuenerit, eam protinus expurget, eluat, omnia absumat, & deleat uel in momento oculi utrunq; & peccatum & mortem, afferatq; omnem gratiam, salutem, ac beatitudinem, & tandem uitam aeternam: quam nobis Deus clementer praestet, Amen.

IN DIE PVRIFICATIONIS Mariae, Euangelium, Lucae II.

Et

ET postquam completi fuissent dies purgationis eorum, secundum legem Mosi, adduxerunt eum Hierosolymam, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Omne masculinum adaperiens uuluam, sanctum Domino uocabitur: & ut darent hostiam, secundũ quod dictum est in lege Domini: Par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat Hierosolymis, cui nomen Simeon: & homo iste iustus ac pius, expectans consolationem Israël, & Spiritus sanctus erat super eum. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non uisurum se mortem, nisi prius uideret Christum Domini. Et uenit per Spiritum in templum. Et cùm inducerent puerum Iesum parentes, ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo: Ipse quoq; accepit eum in ulnas suas, & laudauit Deum, ac dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum uerbum tuum in pace. Quia uiderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

ARGVMENTVM.

Sistitur in templo cum munere legis Iesus,
Quem capiens ulnis gaudet obire Symon.

Qua de re præsens dicit Euangelion?

De lege purgationis, & Oblatione primogenitorum in templum. Et de uaticinio Simeonis.

Quid lex dicit de purgatione puerperarum?

Sic legitur Leui.3.cap. Mulier si pepererit masculum, triginta diebus domi manebit: Nihil sanctũ tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ. Si autem fœminam pepererit, erunt dies sexaginta sex.

Quid in hac lege occurrit?

Duo præcipuè occurrunt, quæ nobis admodum inepta & absurda uidentur. Prius illud est, quòd puerpera tam immunda puerperij sui tempore reputatur, cùm tamen matrimonium diuinum opus, & natus infans bona Dei sit creatura. Alterum ineptum uidetur, quòd pro purgatione iubet Lex offerre didrachmon, agnũ anniculum, par turturũ, aut duos pullos columbarum. Ac ut de Iudæis nihil dicamus in Ecclesiam Christi hæc impia opinio inuecta est: Puerperas non membra Ecclesiæ, sed eo tempore abscissas, & in potestate esse Satanæ. Hinc tot tamq; abominandæ superstitiones effluxerunt, uidelicet aspersiones aquæ benedictæ, incensiones luminum sanctificatorum, suffimenta herbarum

barum consecratarum, & mirabiles multarũ crucium characteres, ianuis ac fenestris impreßi, ne Satanæ scilicet ullus pateret aditus.

Estne igitur puerpera in potestate Satanæ?

Profectò hæc non est sententia Dei *in lege, puerperas in Satanæ esse potestate: siquidem Genesios tertio, ipsemet* Dominus Deus *noster affigit mulieres in crucem partus ac puerperij. Quibus autem* Deus *crucem imponit, eis & auxilium pollicetur, se in cruce ferenda illis opem laturum.* Et D. Paulus *ait:* Mulier *saluabitur per generationem liberorum, &c.* Si *ergo per generationem liberorum saluabitur, qui poterunt in potestate Satanæ esse? Quare Christiani eiusmodi falsas opiniones abijciant, & certò credant, Christianorum puerperas illo tempore maximè in* Dei *custodia & protectione esse.* Et *quò grauiores dolores sunt partus, & quò ipsæ infirmiores, hòc attentius & acutius eas* Deus *intuetur, & curat.* Et *si è uita excedant, in* Dei *opere moriuntur, in* Dominoq; *beatæ ab angelis suscipiuntur, & beatæ prædicantur: Sunt enim filiæ æternæ uitæ.*

Nihil ne igitur sal, aqua, rami consecrati, & candelæ prosunt ad fugandum Satanam?

Si nihil reputat cataphractus hastas, gladios, nõ ferrum, neq; æs (quemadmodum Iob *inquit), quo*

modo is non derideret aquam, salem, ramos, & ceteros?

Firma & sana fides in Iesum Christum, eiusq; diuinum uerbum ea sunt arma, quæ Cacodæmones fugant. Ita puerperæ non sunt immundæ coram Deo, sed tantùm ciuiliter coram hominibus, ut suum tempus obseruent, & mariti non consuetudinem cum eis habeant, iuxta diuinum præceptum, Leuit. 20. Et quidem experientia testatur, mulierem, quæ in partu laborauerit, in quinq; aut sex hebdomadibus uix naturales uires recuperare posse. Ac sunt sanè quædam, quæ in duodecim aut quatuordecim diebus conualescant, & quò lubet, eant. Sed nonnunquam usuuenit, ut in aliquem rursus morbum incidant, quo per sex menses detinentur. Quare mulieres hoc tempus diuinitus constitutum, à natura concessum, ab Ecclesia deniq; receptum, in communem utilitatem altera alteri gratificantes, seruent, quemadmodum Maria sua sponte & ultrò fecit. Deinde Ecclesiam repetant, & Deo pro sua gratia summa pietate gratias agant.

An Maria Lege Mosi quoq; tenebatur?

Non sanè: Lex loquitur de muliere, quæ ex uiro concepit & peperit. Maria autem ante, in, & post partum uirgo mansit, ac supra communem rationem & usum aliarum mulierum è spiritu sancto concepit, nulla consuetudine cum uiro habita.

Quare

Quare Moses nihil in hanc uirginem iuris habuit. Hac sua obedientia & purgatione ingentem suam humilitatem & charitatem declarat. Aliarum mulierum sequitur consuetudinem, Templum ingrediens, & offerens in lege præcepta, seruiens in hoc alijs mulieribus. Et nos suo exemplo docet, ut charitatis uel præcipuam habeamus rationem, sæpe in aliorum gratiam aliquid faciamus, quod tamen ex officio non deberemus, & tamen citra conscientiæ labem aut periculum fieri poßit.

Quid ait Lex de oblatione?

Sic sequitur deinceps Leui. 12. Cùm expleti fuerint dies purificationis suæ, siue pro filio, siue pro filia, deferat agnum anniculum in holocaustum, & pullũ columbæ, siue turturem pro peccato. Quòd si non inuenerit manus eius, nec poterit offerre agnum, sumat duos turtures, uel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, alterum pro peccato, placabitq; pro ea sacerdos, & sic mundabitur.

Quid in hac lege uenit obseruandum?

Duæ res: Prima, pro qua re hostiam offerant, nempe, pro primogenito. Altera res, quæ digna memoria, qualis sit hostia offerenda, nempe, agnus, turtur, aut pullus columbæ. Aut si hæc haberi non poterunt, duo turtures, aut duo pulli columbarum.

Quid dicit lex Dei de primogenitis?

Sic scriptum est Exod. 13. Omne quod aperit uuluam inter homines et pecora, masculini sexus, mihi separabis. Meus enim est, inquit Dominus.

Cur Deus hoc præceptum dedit Iudæis?

Tribus de causis: Primùm, *ut in memoria haberent, quomodo in ipsorum emigratione ex* Aegy*pto, omne primogenitum percusserit, cùm inter homines, tum inter pecora.*

Secundò, ut Sacerdotes & Leuitæ inde uictum haberent, qui alioqui nullam in terra ista sortiti fuerant hæreditatem.

Tertiò, ut nos admoneret de hostia ueri primogeniti, Domini *nostri Iesu Christi, qui est primogenitus inter omnes: cuius in sanguine nos mundamur & sanctificamur.*

Nunquid hæc Lex ad Christum attinet?

Nihil. Christus est dominus omnium Legum. Nobis in hoc seruit, ut Legi satisfaciat, sicut D. Pau*lus inquit. Gala. 4. Christus lege non tenebatur, nos autem obnoxij eramus Legi, at Christus in locum nostrum concessit, & partes nostras egit, legem adimplens nostra gratia.*

Lex ne igitur abrogata est?

Quod ad iustificationem attinet, est abrogata.

Hinc

Hinc est quòd Paulus dicit: Non estis sub lege, sed sub gratia. Hoc est, ex gratia et merito Christi remißionem peccatorum, iustitiam & felicitatem habetis. Quantum autem ad obedientiam fidei pertinet, id præstare tenemur, quod uerè religiosos & filios Dei decet.

Quid Euangelion de Simeone narrat?

Sic inquit Diuus Lucas: Ecce homo erat Hierosolymis, cui nomen Simeon: & homo iste iustus ac pius, expectans consolationem Israël: & Spiritus sanctus erat super eum.

Quid uocas iustum ac pium?

Credulum & fideli esse animo, qui uera religione imbutus sit. Sola enim fides iustificat, acceptos et saluos facit. Ac fidelis homo non timet Deum seruili, sed filiali timore.

Quare innititur fides?

Non sanè operibus legis, non humanis meritis, sed consolatione Israël, qui est Christus Iesus.

Puer ergo Christus consolatio est Israelis?

Non solùm Israëlis, sed & gentium. Sic enim scriptum: Gentes in eum sperabunt.

An Iudæi etiam talem eum agnoscebant?

Pauci admodum, quod sanè miraculum est omnium mirabiliũ mirificißimum, in tanta sanctimo-

nia,

nia, & illustri populo tam paucos inueniri, qui hanc saluificam natiuitatem Christi agnoscerent. Solus Simeon id temporis uaticinia Prophetarum obseruârat. In paupertate Christus à pauperibus uisitatur & agnoscitur: non Pontifices, sed miselli pastores: non Pharisæi ab Hierosolymis, sed Magi ab Oriente quærunt eum. Christus defertur in templum, ibi nulli Pontifices, nullus Pharisæus, nullus Scriba, qui Christum agnosceret, salutaret, aut obuijs ulnis acciperet. Solus Simeon senex, pauper, Hierosolymitanus ciuis, Deum laudabat.

Quomodo Simeon peruenit ad hanc cognitionem Christi?

Ingenti desiderio flagrarat, & ex animo mundi saluatorem Christum optauerat, ut eius aduentum superstes uideret. O quoties in suis precibus uotum fecit, & dixit: Quando tandem ueniet? quando nascetur? num putas me uisurum? num existimas me ad ea tempora uicturum? Putásne ipsum me hîc uiuum inuenturum? Vtinam ad eum usque diem mihi in uiuis esse liceret, ut Christum hisce meis oculis uiderem. Hæc eius quotidiana fuit oratio. Quoniam autem eius fides & spes tam recta & integra fuit, responsum accepit à Spiritu sancto, se non uisurum mortem, nisi prius uideret Christum Domini.

Quàm illi tempus longum ac tardum uisum, priusquam ad hoc perueniret gaudium.

Procul-

Proculdubiò tardißimum: Sed tamen sui tandem uoti compos factus, & hisce potitus gaudijs, ut non modò salutare uideret, uerumetiam in manibus gestaret, & complecteretur. Ac diutina expectatio & spes eius abundè illi compen ata.

Quî ad hoc gaudium peruenit?

Cùm parentes puerum Iesum inducerent, ut facerent secundũ consuetudinem legis Mosi pro eo, it Simeon impulsu sancti spiritus in templum. Et accepit ipse quoq; puerum in ulnas suas, & agnoscit eum suum Dominum, & Saluatorem, bene precatur illi, & gratulatur aduentum. Quî huic seni Simeoni amplior honor & gloria contigisset? Tali dignatur honore, quali nullus unquam Imperatorum, Regum, ac Principum affectus fuit. Tantum suis gestat manibus thesaurum, cui neq; in cœlis, neque in terris ullus est similis, nempe Saluatorem mundi.

Quid Simeon tali delibutus gaudio facit?

Gratias agit Deo, & canit, summa incedens, uel exultans potius lætitia: Nunc dimittis seruum tuũ Domine secundum uerbum tuum in pace. Quia uiderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.

Quid Simeon agit in hoc suo carmine encomiastico?

Tria

Tria maximè: Primùm se dedit uoluntati Dei, dicens: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum uerbum tuum in pace. Quasi diceret: Nunc lubens moriar. Nunc mihi mors desiderata & expectata aderit. Nunc quod diu mihi optatum fuit, adeptus sum.

Secundò, rationem subijcit, cur paratus sit ex hac uita concedere. Quia oculi (inquit) mei uiderunt salutare tuum. Imò non modò uiderunt, sed nunc meis porto manibus. Quem autem? Saluatorem mundi, qui Satanam debellans sub iugum mittet, Mortem abolebit, Tartarum depopulabitur, peccata tollet, & toti humano generi opem feret.

Tertiò ostendit, quis sit ille Saluator. Quem tu parasti (inquit) ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium. Ac si diceret: Talis est Saluator, qui in ore erit omni populo, prædica... o ipsum esse lumen gentium, & gloriam suæ plebis Israël.

Quale lumen est Christus?

Non sanè corporeum, mobile, & mutabile lumen, sed spirituale, immobile, & sempiternum lumen, quod nullis nebulis aut tenebris humanæ doctrinæ turbetur, nulla caligine incredulitatis opprimatur. Quod lumen nulla nox, sed æterna dies consequetur. Dominus noster Iesus Christus, æterna lux, omnes errores & superstitiones è sua Ecclesia dignetur tollere, & nos suos famulos

in pace cum Simeone dimittere, ad sempiternam uitam, Amen.

IN DIE MATTHIAE S. APO*stoli, Euangelium, Matth. XI. & Luc. X.*

IEsus exultauit spiritu, & dixit: Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: Certè pater, quoniam sic complacitum est coram te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo: & nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quisquam nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Tollite iugum meum super uos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.

ARGVMENTVM.

Mira Dei bonitas, sua quòd mysteria magnis
Occulit, & paruos talia nosse facit.

Quid hoc nobis proponitur Euangelio?

Amplißimus

Amplißimus thesaurus salutis & beatitudinis nostræ, nempe, illustrißima imago gratiæ, Iesus Christus Dominus noster, Mediator, & Saluator, unica porta, uia, nauis & pons, sine quo impoßibile est quenquam ad Patrem uenire, & saluum fieri. Christus se hîc ostendit, ac si medius inter cœlũ & terram staret, inter Deum et homines, tanquam uerus Patronus, aduocatus & Mediator, ut nos ex Satanæ regno liberatos, rursus in sui Patris regnũ transferat, à quo defeceramus, per lapsum & præuaricationem Adæ & Euæ.

Quomodo Christus hoc distinguit Euangelium?

In tres partes distribuit.

Quid in prima parte agit?

Exultat in spiritu, & loquitur cum suo Patre cœlesti, gratias illi agens, dicit: Confiteor tibi Pater, & Domine cœli & terræ, quòd hæc à sapientibus & prudentibus absconderis, & paruulis ea reuelaueris. Mortales gaudent in rebus secundis, & in aduersis animum despondent. Quia uerò Christus non solùm Deus, sed & uerus erat homo, se quoq; humanis tangi affectibus, specimen ædere uoluit. At non in carne, sed in spiritu exultat. Nam si totam Christi uitam intueamur, non multum externi inuenimus gaudij. Misera eius erat natiuitas, ærumnosa eius uita, miserabilis & tristis eius exitus. Hoc autem summum eius erat gaudium,

quum

quum uidebat miseros peccatores, & simplices animos salutare suum uerbum auidè audire & arripere, tum omni lætitia incedebat, & in animo seriò gaudebat, adeò, ut cibi potusq; obliuisceretur, & nulla eum satietas prædicandi caperet.

Quos uocat sapientes & prudentes?

Qui sua sapientia innituntur & confidunt, & omnia ratione metiri uolunt. De quib. Isaias ca. 5. Væ illis qui suis in oculis, & apud semetipsos sapientes sunt. Eiusmodi carnalis sapientia, quia Dei uerbum & prædicationem de cruce contemnit, nō potest in arcem causæ, ad iustificationem pertinentis inuadere, & ad credendum animum inducere. Ac notum est quidem experientia, eiusmodi homines rarò ad notitiam Dei peruenire.

Quos uocat paruulos & νηπίυς;

Qui de seipsis, & omnibus suis operibus, ac meritis desperant, & nihil sibi habent polliceri, suam sapientiam ac prudentiam non magnificientes. Sed solum Deum sapientem & prudentem iudicantes. Qui perspectißimum habent, quòd in causis ad Dei honorem, & nostram iustificationem pertinentibus, humana ratio & sapientia nihil, sed solum Dei uerbum ualet & promouet. Et quòd ipsos neq; Angelus, neq; homo, neq; ars, neq; potestas ulla, sed sola diuina gratia per Iesum Christum facta,

saluos faciat. Super hisce gaudet Christus, & gratias agit Patri.

Num Christus igitur de sapientum inscitia & infortunio gaudet?

Vtitur hic Euangelista Lucas uulgari loquendi forma: Vt si quis ex horribili casu crus frangit aut brachium, solemus dicere, consolatione hac permulsuri: Gratias ago Deo, quòd crus fregeris, & non totus interieris. Hisce uerbis non significamus nobis uoluptati esse illius incommodũ, sed gratum quòd interitum & mortem euaserit. Sic Christus hîc quoq; gaudet. Quandoquidem sapientes et prudentes huius mundi Euangelion neq; uidere, neque audire uolunt, exultat Dominus animo, superesse tamen pauperes, simplices & infimes homines, qui aduenientes grato accipiunt animo, atque sic à potestate Satanæ & infernis liberantur, & tandem salui fiunt.

Cur pater sapientes reijcit, & paruulos acceptat?

Christus dicit esse patris uoluntatem & beneplacitum coram ipso. Certè pater (inquit) sic beneplacitum est coram te. Ac si diceret: Mihi pater, rectè facis, nec melius agere posses, nihil cuiquam debes, nemo te sibi suis deuinctum reddidit meritis, ut illi rependas. Si quem in gratiam recipis, remittis illi peccata, & saluum facis: tum agit tibi grati

as,

m, & gaudio perfunditur: Non enim promeruit, sed quicquid illi accidit, id est mera gratia.

Quid in secunda parte Christus agit?

Clarè ostendit quis sit, et quid de ipso sentiamus, dicens: Omnia mihi tradita sunt à patre meo, & nemo nouit filium, nisi pater, neq; patrem quisquam nouit, nisi filius, & cui filius uoluerit reuelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, et ego uos reficiam. Hîc primùm significat se plenam cum patre habere potestatem in cœlo & in terra. Secundò, quòd ipse solus nos ad notitiã Dei perducat. Tertiò, quòd ipse sit consolator omnium afflictorum cordium.

Quam nos Christum profitentes inde [illegible]olationem habemus?

Triplicem [illegible]solationem.

Quæ est prima?

Nos Christum agnoscimus Dominum, qui est omnipotens, & nos ab omnibus hostibus defendere ac tueri potest. Pater enim illi dicit: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et Christus ipse inquit Mat. ult. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Et Ioan. 10. ait: Oues meæ audiunt uocem meam, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Et ego uitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapturus eas quisquam de manu mea.

Quæ est secunda consolatio?

Christum confitemur Dominum, *qui et* Doctor *est super omnes* Magistros *&* Doctores, *quiq; docere nos potest omnia quæ sunt nobis cognitu necessaria. Atqui nihil magis necessarium aut felicius, quàm patrem cognoscere,* Ioan. 17. Et *eam notitiã nemo melius nobis tradere potest, quàm* Christus *in* Euangelio. Cùm *enim* Euangelium *auribus haurimus, & corde concipimus, & credimus, tum ea fides* Spiritum *sanctum nobis affert, quem ubi conceperimus, uerum habemus præceptorem, qui docet utrunq; & patrem & filium cognoscere, et præterea omnia, quæ necessaria saluti, & bona sunt, cùm ad corpus, tum ad animam.*

Quæ est tertia consolatio?

Christum habemus & colimus Dominum, *qui cuncta tristia pectora, omnes afflictas conscientias, omnes peccatores & peccatrices ad se uocat, consolatur, & refocillat.*

Quomodo uocat?

Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego uos reficiam.

Quid hisce sibi uult uerbis?

Hoc & tantum uult dictum : Ad *me uenite, & ne curratis ad alium quemuis .* Ego *uobis adero, auxiliares manus porrigens, consolans & reficiens, mihi mandatum est, nulli alio trado meum honorem.* Ego *solus sum uester* Mediator, Aduoca-

tus,

tus, Seruator, & Saluator, uester pater, frater, Dominus, & Magister, si alicuius rei indigetis, si quid uos solicitos habet, id à me requirite. Si quem uultis sanctum patronum in tempore adiutorem, me habete. Ego sanctus omnium Sanctorum, Patronus omnium patronorum, præsentißimus opitulator in tempore. Propitiatorium uobis à patre propositum. Solus ergo uester consolator, adiutor, & liberator ero. Ego sum ille, de quo Isaias ait, Arundinem comminutam non fracturus, linum fumigans non extincturus.

Quem usum habent hæc consolantissima uerba?

Hunc habent usum: Quamplurimos miserrimos peccatores perdita sua uita repellit & retundit, ut subeat animum: Ah ah miser ego sum peccator, et non dignus, ut uel cum Deo precibus agam, uel oculos meos in cœlum attollam, & os coram Deo aperiam. Ah mi Deus, quid mihi consilij & solatij reliquum, quo uel aliquantulum leuer. Heu mihi pereundũ est. Lex meis incumbit humeris. Ira dei me opprimit. Mors et infernus me terrẽt. Quò me uertam nescio. O mihi si terra dehiscat. Dexter ades, fer opem Deus, auxiliare misertus. Ecce hosce terrores & desperationes Christus in uniuersum tollit, utiturq; iucundißimis & blandißimis uerbis, quibus maximè potest, clamans: Venite ad me

omnes qui laboratis & onerati estis, ego uos reficiam.

Qui laboriosi & onerati?

Illi ipsi qui sua peccata sentiunt & agnoscunt, sibiq; ab ira Dei, Morte *& infernis timent, & ob id graui ac malè conciliata utuntur conscientia, ac intelligunt quidem nullum opus in se, aut meritum, quod præsidio aut leuamini sit, & tamen auxilium expetunt summis uotis.* Hosce uocat Christus, *ac si diceret:* Non confidentes, *præfractos ac maleuolos uoco peccatores, qui neq;* Deum *neq; homines reuerentur.* Neq; *sanè propriæ iustitiæ, sapientiæ opinione tumentes* Hypocritas, *operarios, qui alias norunt uias ad cœlum.* Eiusmodi *non ad meum ouile pertinent, neq; mea indigent opera.* Ego *solùm ærumnosos, oneratos, pauperes, miseros, & turbatos animos, afflictasq; conscientias, quæ aurium tenus peccatis immersæ sunt, uoco,* Quos *ira* Dei *infestat, quiq; à morte & inferis stupescũt, deliquium faciunt ac perterrefiunt, & ex animo consolationem expetunt:* Eos *quæro, eos uoco, hi sunt mihi dilectißimi filij.*

Quid laborantibus mandat?

Sic inquit: Tollite *iugum meum super uos, & discite à me, quòd mitis sim, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris.* Quasi *diceret:* Video *uos perplexos, anxios, & uos ipsos excrucian tes in* Pharisaica *doctrina, in præceptis hominum,*

num, & in operibus legis, ut optetis ex animo ab intolerabili onere & pondere peccatorum (quibus conscientia uestra grauata est) liberari. Sed profectò actum agetis, & subindè ad peiora res uestræ inclinabuntur, & idem accidet quod mulieri, Mar. 5. quæ multa fuerat perpessa à compluribus medicis, & insumpserat omnia sua, neq; quicquam adiumenti senserat, Quare ad me uenite, Ego graue iugum & onus Legis, Peccati, & afflictæ conscientiæ à uobis tollam, & leue onus saluifici Euangelij uobis imponam, remißionem peccatorũ impertiar, & ut dilectis meis filijs uitam æternam donabo. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Nolite à me timere. Non multas uobis imponam leges, sicut Moses, neq; ad inferos damnabo, sicut Pharisæi. Et quare animum abijciatis? Equidem sum mitis et humilis corde. Non soleo crudeliter et atrociter agere sicut Moses, neminem lapidib. obruo, neminem interficio, non trado difficilia præcepta, omnibus offero hominibus remißionem peccatorũ & æternam uitam. Sum præterea humilis corde, nollē profectò miserum peccatorem sine consolatione à me dimittere. Quanquam ut Dominus omnium dominantium summo erga eos iure uterer, non tamen facio. Peccatores placidè suscipio, & præterea seruus eorũ fio, & omnia quæ mihi sunt, meq; totũ, ad eorum usum & captum accõmodo, redimo eos ab

æterna morte, precioso meo sanguine, tribuo illis cœlum, ut meum ferant iugum.

Sed difficile est Christi iugum portare.

Verum est sanè. Carni & sanguini Euangelion (quod est uerbum crucis) difficile onus, & iugum graue, quod inuiti ferimus. Quando autē Paraclętus sanctus spiritus uenit, suaq; gratia cor illuminat, & inflammat interiorem hominem diuini amoris igni, tum eiusmodi crux leuis fit & dulcescit. Ibi tum homo in memoriam reuocat uerba Paulina Roma. 8. Existimo autem non esse pares afflictiones præsentis temporis, ad gloriam quæ reuelabitur erga nos. Et Acto. 14. Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Vbi unà cum dilectis Prophetis, Apostolis, & omnibus electis requiem animabus nostris inueniemus, infinitum gaudium & æternam uitam, Amen.

IN DIE ANNVNCIATIOnis Mariæ, Euangelium, Luc. I.

IN Mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilçæ, cui nomen Nazareth, ad uirginem desponsatam uiro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, ac nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam,

dixit: Aue gratiosa, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Illa uerò cùm uidisset, turbata est super oratione eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, nacta es enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in utero, & paries filium, ac uocabis nomen eius Iesum. Is erit magnus, & filius altissimi uocabitur. Et dabit illi dominus Deus sedē Dauid patris ipsius, regnabitq; super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quandoquidem uirum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Quapropter & quod nascetur sanctum, uocabitur filius Dei. Atq; ecce Elizabeth cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis est sextus illi, quæ dicebatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne uerbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum. Ac discessit ab ea Angelus.

Nuncia uirgo tibi fert angelus æthere summo,
Quòd genitrix Natum sis paritura Dei.

Quid hoc nobis proponit Euangelium?

Hoc Euangelium nobis ostendit principium salutis nostræ, nempe salutarē Incarnationem Christi filij Dei. Primùm, quomodo ea incarnatio Christi à Deo per Angelum Mariæ uirgini adnunciata sit. Secundò, quomodo nuncium & uerba Angeli prolata. Tertiò, quomodo uirgo eiusmodi nuncium Angeli gesserit.

Quomodo Euangelista describit hoc nuncium?

Sic ait: In mense sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth ad uirginem desponsatam uiro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, ac nomen uirginis Maria.

Cur Lucas hanc historiam tot uerbis, & circunstantijs describit?

Haud temerè hoc facit: Nam si in ciuilibus causis ita cautè ac seriò agitur, ut etiam arbitris adhibeantur notarij, qui locum, tempus, literis mandent, traduntur libelli, & sigillum appenditur, quò causa maxima autoritate rata & digna uideatur. Quantò magis diuina maiestas idem hoc fecerit in tam ardua & ampla causa, nempe incarnatione Christi, quò nos de promissione eius patribus facta, certiores redderemur. Ideò D. Bernardus

scribit

scribit super hæc uerba: Quemadmodum nullum folium ab arbore, ne capillus quidem à capite humano, nec passerculus in terram decidit, sine uolumtate patris: ita neq; ex ore Euangelistæ Lucæ ullum superuacaneum prodijt uerbum, sed omnia à spiritu sancto autore profecta ad nostram consolationem & certitudinem sunt deprompta. Quare primùm tempus annunciationis indicat, sextum mensem à conceptione Ioannis Baptistæ. Deinde Angelum, et nomen eius exprimit. Tertiò, quis miserit Angelum, nimirùm Deus pater. Quartò, prouinciam Galilæam. Quintò, ciuitatem Nazareth. Sextò, uirginem Mariam, ad quam Angelus missus erat. Septimò, uirum, cui desponsata erat, Ioseph de domo Dauid. Hæc omnia S. Lucas disertè exprimit, ea de causa, quòd ueram & fide dignam condat historiam.

Quid Angelus Gabriel agit in hac legatione perfungenda?

Recepit se intrò ad eam, nec in publica uia uagantem inuenit, sed domi, haud dubiè, pio studio addictam, & comiter eam salutat, dicens: Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu, & summis laudibus celebrata in mulieribus.

Licetne hac breui forma salutandi uti?

Hæc est salutatio, qua sancta trinitas Virginem Mariam dignata alloqui: ideò & nos non detrectemus

trectemus eam iisdem uerbis salutare. Ipsa canit in suo Cantico: Humilitatem ancillæ suæ respexit. Ecce hoc tempore beatam me prædicabunt omnes generationes. Si hæc uerba sunt implenda, necesse est profectò esse homines, qui eam laudibus uehant ac ornent. Elizabeth incepit Lucæ primo, dicens: Beata, quæ credidisti. Similiter & mulier, Lucæ 11. Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. Quis eam nunc beatam prædicabit? Iudæi, Turcæ, Gentes, Hypocritæ, & Pseudochristiani procul dubio non faciunt, sed summa ignominia & blasphemia eam afficiunt; Proinde nostri erit officij, qui Christi Euangelion profitemur. Quare peruersè agunt, qui præ nimia sapientia & sanctimonia ferre non possunt, ut hæc salutatio recitetur.

Atqui nulla est oratio, cur ergo recitanda?

Verum est sanè, non esse orationem, nihil enim in ea precamur, sed est salutatio, qua sancta Trinitas Mariam salutari uoluit: Si ergo placuit sanctæ Triadi, cur non itidem nobis placeat?

Num hac salutatione piè uti possumus?

Trifariàm hac salutatione uti licebit. Primùm inde discimus initium nostræ salutis & redemptionis.

Secundò, uidemus quantam gratiam Deus Mariæ largitus sit.

Tertiò,

Tertiò, tam gratuitis Dei beneficijs & operibus accendimur & adducimur ad orandum Deum, ut & nobis uel scintillam diuinæ impertiat gratiæ.

Quid Maria hac salutatione audita faciebat?

Cùm uidisset Angelũ, turbata est super oratione eius, & cogitabat, Qualis hæc est salutatio? Nemini mirum uideatur Mariam ab aduentu Angeli, imò potius ab insolita salutatione Angeli turbari. Sed Angelus eam consolatur, dicens: Ne timeas Maria, nacta es enim gratiam apud Deum. ac si diceret, Quòd appareo tibi, id ex diuino fit mandato. Quicquid tibi dico, diuinũ est negotiũ, & nihil hic est periculi. Inuenisti enim gratiam apud Deum, non ex merito, uerùm ex misericordia Dei. Nam quia in tuis oculis humilis & contempta fuisti, Deus te matrem elegit, & te uult prælatam ac commendatam super omnes mulieres. Ecce concipies in utero, & paries filium, ac uocabis nomen eius Iesum. Is erit magnus, & filius altißimi uocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem patris ipsius, regnabitq; super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Hic perstringit paucis Angelus Gabriel ferè omnia oracula Prophetarum de Christo prodita, maximè autem Isaiæ Prophetæ.

Quid Maria Angelo respondet?

Sic ait; Quomodo fiet istud, quandoquidem uirum

rum non cognoſco? Hæc uerba non ſunt incredulitatis uerba, ſed præſtantiſſimæ fidei. Nihil dubitat prorſus de uerbo Dei, quòd ſit mater futura, & nihilominus uirgo manſura, & non ſolùm mater ſimpliciter, ſed mater Dei, id illi præter opinionem auditur & admirabile uidetur.

Etenim nullum eius rei in toto orbe habebat exemplum, in nulla creatura, unde argumentum fidei & ſolatium habuiſſet. Quaſi diceret: Verbis tuis credo, & perſuaſum habeo, eſſe ueriſſima. Nec me latet id ab Iſaia prædictum. Si uerò ego ea ſum uirgo, obſecro te, dic mihi, quomodo fiet iſtud?

Quid reſpondebat angelus?

Sic dixit: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & uirtus altiſſimi obumbrabit tibi. Quapropter & quod naſcetur ſanctum, uocabitur filius Dei. Quaſi diceret: Hæc conceptio non humanum, ſed diuinum erit opus, Spiritus ſanctus in eo erit architectus, is in te efficiet priuſquam ſentias. Is te expurgaturus ab omni mala inclinatione, omnibusq; cœleſtibus & diuinis bonis gratuitis & donis, & in corpore & in anima exornaturus. Quapropter & quod naſcetur ſanctum, filius Dei uocabitur: tantum dictum uolens: Quicquid ab alijs mulieribus concipitur et naſcitur ſecundum communem curſum naturæ, Adami poſteritas eſt, filij iræ, & maledicti, qui nulli ſanctimonia nati, nec pertinent ad

regnum

regnum Dei, sed ad Tartarum & damnationem, nisi regenerentur per baptismum. Verùm tuus filius erit benedictum semen, quod promisit Deus Abrahae, Isaac, & Iacob, quodq́; Satanae comminuet caput, in quo benedicentur omnes Gentes in terris.

Ecquod illi signum dat Angelus?

Sanè quidem, Sic ait: Ecce Elizabeth cognata tua & ipsa concepit filiū in senectute sua, & hic mensis est sextus illi, quae dicebatur sterilis. Quia non est impoßibile apud Deum omne uerbum. Id uolens dicere: Si Deus aetate confectam & sterilem mulierem foecundam reddere potest, & hoc praestare potest, ut tu in uirginali utero filiū cōcipias, & uirgo parias. Quare hoc exemplo adducta meis fidē habeto uerbis. Certo enim erit tibi id, quod predixi. Apud Deum nihil est impoßibile.

Quid respondebat Maria?

Sic ait: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. Haec admodum pauca sunt uerba, sed quae ingentia Dei miracula consequuntur. Quasi dictura: Etsi non assequor quid Deus mecum acturus, eius tamen uerbis fidem habeo, eius uoluntati & arbitrio permitto, qui est omnipotens Deus, mihi fiat secundum uerbum eius: parata sum omnia facere, quae ipse uoluerit, modò commodum adsit mihi Dominus meus, & Deus meus, & Iudaia in me diuinam perficiat uoluntatem, ut liberentur

omnes

omnes qui ſedent in tenebris, & umbra mortis. Mibi fiat ſecundum uerbum tuum. Quamprimum hec uerba Maria faceret, replebatur ſancto Spiritu, concepitq; filium Dei, ſaluatorem Mundi. Et restituit Maria id quod Eua perdiderat. Atq; hic pater reconciliatus toti humano generi. Hic omnis ira miſſa facta, & omnis gratia & miſericordia, remiſsio peccatorum & uita æterna promiſſa adſunt, Amen.

IN DIE PHILIPPI ET
Iacobi, Euangelium, Ioan. XIIII.

DIxit Dominus diſcipulis ſuis: Ne turbetur cor ueſtrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Quòd ſi ſecus eſſet, dixiſſem uobis: uado paraturus uobis locum. Et ſi abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniam, & aſſumam uos ad meipſum, ut ubi ſum ego, & uos ſitis: & quò ego uado ſcitis, & uiam ſcitis. Dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quò uadis, & quomodo poſſumus uiam ſcire? Dicit ei Ieſus: Ego ſum uia, & ueritas, & uita. Nemo uenit ad patrem, niſi per me. Si cognouiſſetis me, & patrem meum utiq; cognouiſſetis. Et nunc cognoſcitis

cognoſcitis eum, & uidiſtis eum. Dicit ei Philippus: Domine, oſtende nobis patrem. Dicit ei Ieſus: Tanto tempore uobiſcum ſum, & non cognouiſti me? Philippe, qui uidet me, uidet patrem. Et quo modo tu dicis, oſtende nobis patrem? Non credis, quòd ego in patre ſim, & pater in me? Verba quæ ego loquor uobis, à me ipſo non loquor. Pater autem in me manens, ipſe facit opera. Credite mihi, quòd ego in patre ſim, & pater in me: Alioqui propter ipſa facta credite mihi. Amen amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora ijs faciet: quia ego ad patrem uado. Et quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater per filium. Si quid petieritis per nomen meum, ego faciam.

ARGVMENTVM.

Cum Patre ſeſe unum ſummo teſtatur Ieſus,
Inde ſuo mandat nomine cuncta peti.

Quid Christus in hoc tractat Euangelio?

Tria potiſsimum. Primùm, conſolatur ſuos diſcipulos contra imminentem crucem, promittitq; illis cœleſtem habitationem apud Patrem.

Secundò, si de uia in dubium uenerint, docet eos, se esse uiam ad Patrem.

Tertiò, promittit illis à Patre dandum quicquid in suo nomine petituri.

Quam ob causam discipuli tristes fuere, ut necesse haberet Christus eos consolari?

Iam instabat tempus decretum Christo, quo uisum illi per suam mortem gloriam patris ingredi, & à discipulis discessum facere.

Atqui ob id meritò gauisi fuissent.

Adhuc suberat illis carnalis affectus, necdũ sanctus eos Spiritus confirmauerat in fide, ideò in mœrore sunt, & metu exanimati propter crucem. Optassent potius Christum regio more regnum instituere, & cum ipsis dominari ac manere.

Quid autem Christus agit?

Vtitur in hac consolatoria oratione, tot familiaribus ac iucundis uerbis, ut facile sit uidere & animaduertere, quomodo diuinum eius cor amore flagrarit, quàm solicitam eorum curam habuerit, & susceperit, ut suæ etiam paßionis obliuisceretur, ac sic exorditur: Ne turbetur cor uestrum. Creditis in Deum & in me credite. Quasi diceret: Etsi hactenus expertes timoris & solicitudinis fuistis, posteaquam uidistis quanta autoritate & potentia usus sim, cùm in uerbis, tum in factis, adeò

ut

ut principes Iudæorũ sibi à me timuerint. Sed nũc longè aliter fiet. Visuri enim horrenda mea & tristia fata, ut animus uobis in genua repentè cadat, sed adeste animis, & uiros fortes uos perhibete, nõ erit exitio, nihil est periculi. Si quid boni de Deo uobis pollicemini, & de me nihil dubitetis, sed optima quæq; expectetis. Quã opem et consolationem à Deo petitis, et expectatis, eandẽ et à me quærite et expectate. Si uobis prius auxilio fui, & consului, nec deinceps uos desertos patiar, nullaq; in re uobis me defuturũ recipio. In domo patris mei sunt mansiones plurimæ. quasi dictũ uelit: in terris non multas ædes, nec certas habituri sedes. Mundus enim Diaboli est regnum, qui non patitur uos diu hic habitare & manere: est enim homicida. Sed præsenti animo estote, si maximè nullæ uobis ædes aut hospitia patent, tamen uobis erit locus ubi maneatis. Si uos Satan & Tyranni nolunt habere ciues, uicinos, aut hospites, & soli mundo potiri, nec domicilium aliquod uobis concedere, apud me in domo Patris mei manebitis, ubi satis multæ suppetunt mansiones. Quod si secus esset, dico uobis, quòd uado paraturus uobis locum. Equidem fixo, ut sufficiant uobis, ut uel pro una mansione centum habeatis: nihil uobis deerit, sed omnia abundè suppeditabuntur.

Quo medio Christus mansiones paraturus?

Per suam paßionem & mortem. Ac si dictum uelit: Primum certamen meum est, deinde uestrum, & omnium Christi fidelium. Quicunq; in meis castris, & sub meo uexillo militat, necesse habet, cum hoste in harenam descendere, & pugnare. Nemo enim coronatur, nisi fortiter pugnauerit. Et si non omnes perfecti estis in fide, feruidi in charitate, robusti in tentatione, diuites in uirtutibus, probi bonis operibus, non ideò animum & hastam abijciatis. In domo Patris mei sunt mansiones multæ, diurnus denarius ex æquo diuidetur omnibus, ita ut quisq; sit contentus. Ibi nulla querela, nulla obmurmuratio erit aduersus patremfamiliàs propter mercedem, sed solida pax, gaudium, & concordia in Deo. Sed me oportet præire uobis, & uiam sternere, omniaq; impedimenta auferre, maximos spiritus grassatores, animarum uoratores, Cacodæmones, Mortem, & Orcum, è medio tollere, Regnū peccati & mortis abolere, & uiam repurgare, ut liberum ac tutum habeatis ad Patrem aditum.

An etiam reuersurus erat Christus?

Sic ait: Et si abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniam, & assumam uos ad meipsum, ut ubi ego sum, & uos sitis. Perinde ac si dictum uelit: Non arbitremini me mihi hoc regnum soli paratu rum, nequaquam uos desertos uolo, longè mihi chariores estis, quàm ut uos inter tot lupos & tyrannos

pannos relinquam : Saltem bono estote animo, & ne despondeatis, ego reuertar ad uos, & uos assumam ad me, ut utrunq; certum habeatis, & mansionem in cœlo, & me uobiscum in æternum. Imò & iam in hoc primas tenetis, quòd nostis quò abeam, & uiam scitis.

Quid respondent discipuli?

Thomas admiratur hæc uerba, & satis mirum illi uidetur, quòd Christus dicit, eos uiam nouisse, quò ipse abiturus, quare respondit, & dicit : Domine, nescimus quò uadis, & quomodo possumus uiam scire?

Quomodo hæc coueniunt: Christus ait, eos uiam scire, Thomas negat. An Christus & Thomas non conueniunt?

Thomas & alij discipuli optimè norant, Christum ipsis futuram suam paßionem sæpius prædixisse, confitebantur Christum esse filium Dei. Sed ea confeßio tum temporis admodum infirma erat, necdum per Spiritū sanctū confirmata, per crucem & paßionem nondum comprobata, quare in eis semper permanebat insita quædam incredulitas, & scripturæ ignorantia.

Quo eos responso Christus dignatur?

Illustri sanè & præclaro responso, dicens: Ego

ſum uia, & ueritas, & uita. Nemo uenit ad Patrem, niſi per me.

Hoc inſigne & memorabile eſt dictum.

Sanè quidem memoratu digniſſimum & ſpecioſiſſimum, niſi quòd dolendum, hoc uerbum tam diu ſub ſcamno abſtruſum & ſepultum iacuiſſe, et à tam paucis hominibus in animo aduerſum & perceptum fuiſſe. Tot enim & tam uariæ ſunt uiæ excogitatæ, per quas tentarunt mortales & iuſtitiam, & ſalutem parare, unus per hoc, alius per aliud opus. Et ſunt tamen iſtæ uiæ, ſi ad uerbum Dei conferantur, nihil aliud, quàm biuia & auia, quæ non ad uitam, uerùm ad perpetuum ducunt exitium. Solus Chriſtus eſt uita. Per ſolum Chriſtum habemus remiſſionem peccatorum, iuſtitiam, & beatitudinem. Neq; per aliud ad Patrem admittimur medium, quàm per ſolum hunc Chriſtum.

Quid Chriſtus ſibi uult hoc dicto: Ego ſum uia, & ueritas, & uita?

Sanè hoc uerbo ſuos diſcipulos & omnes Chriſtianos uult auulſos ab omnibus alijs erroneis, & fallacibus uijs, ab omni uana & humana doctrina, hæreſi & ſecta, & omni quod nobis obſtaculo eſſe queat, ad uitam æternam conſequendam. Quaſi dicturus: Dulciſſimi filij, ſi à me aberraueritis, nunquam uiam rectam ad uitam æternam tenebitis, &

ſi

si ad extremum usq; halitum peruestigaueritis. Non modò ego sum uia, sed etiam ueritas & uita. Nemo uenit ad Patrem, nisi per me. Nemo ad ueritatem & uitam peruenit, nisi per me. Nulla alia (ut in pauca conferam) præter me est uita, semita, pons, nauis, & porta ad cœlum. Nulla alia doctrina & uita, quàm in me. Ego sum principium, medium, & finis. Ne uos compitis, auijs, & inuijs seduci, néue ulla falsa doctrina impediri, detineri, aut retrorsum agi sinatis, sed semper pergite, & manete in regia uia, in meo uerbo, in uerbo ueritatis, tum æterna uita uobis non defutura. Si me cognitum haberetis, & Patrem meum utique cognouissetis. Et nunc cognoscitis eum, & uidistis eum.

Quid responsi hisce uerbis Christo datur?

Philippus inquit: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Quasi diceret: Multa nobis de Patre dicis, quòd cognoscamus eum. Atqui per omnem uitam oculis non uidi eum. Ac nihil magis optarim, quàm ut poßim eum uidere.

Quid Christus respondit?

Sic dicit Philippo: Tanto tempore uobiscum sum, & non cognouisti me? Philippe, qui uidet me, uidet Patrem. Et quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Ac si diceret: Ah quàm malè locaui meam operam in uobis docendis. Nónne audis: Qui

me uidet, uidet & Patrem. Si nosse cupis, an sis in gratia Dei, quomodo Deus in te affectus sit, & quomodo ad eum peruenias, non ulterius quæras, sed duntaxat me uide, & in oculis ferto, audiens, quid tibi loquar, & hæc mea uerba alta mente repone, sicq; rectißimè Patrem petes, & attinges. Et rectè uidisti, & cognouisti eum, sicut uideri & cognosci debet. Non credis, quòd ego in patre sim, & pater in me? Verba quæ ego loquor uobis, à meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Credite mihi, quòd ego in Patre sim, & Pater in me: alioqui propter ipsa facta credite mihi. Hæc est Christianorum consolatio. Nam ut uerba & facta Christi sunt Patris, ita uerba & facta Apostolorum, & omnium fidelium, sunt Domini nostri Iesu Christi. Si quando igitur audis prædicari Euangelium, uides Baptismum, Absolutionem, & sacrosanctum altaris Sacramentum administrari, tutò & uerè dicere poteris, Hodie Dei opus uidi, imò ipsum Christum uidi baptizantem, absoluentem, Sacramenta distribuentem, & prædicantem. Nam lingua & uox quidem hominem sonant, sed officium & uerbum est Dei. Sed semper exigit fidem. Quare pergit dicendo: Amen amen dico uobis, Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora ijs faciet, quia ego ad Patrem uado.

Qui hoc intelligam?

Sic

Sic planißimè habeas: Discipuli prædicando, et miracula ædendo longius progreßi, maiori processu usi quàm Christus. Christus enim solam Iudæam sibi perdocendam delegit, & id quidem ad perbreue tempus: Verùm Apostoli, & discipuli Christi, totum Mundum repleruntsua doctrina, & ad nouißimum usq; diem durant. Atq; sine dubio, Christi fideles (maximè autem qui sunt in ministerio, & uerbum tractant) hodierno die multa ac magnifica faciunt opera, prædicando, baptizando, Sacramenta administrando, conuertendo Iudæos & gentes. Præterea miseras animas è Satanæ faucibus rapiunt, ac multas perplexißimas & impeditißimas consolantur & explicant conscientias &c. Ea sunt talia opera, quæ nemo infidelium facere posset. Imò unusquisq; Christianus coram Deo maior reputatur, quàm uniuersus mundus, unà cum suis pompis & omnibus glorijs. Quòd sol adhuc lucet, & nubes pluuiam suppeditant, quòd adhuc triticum & uinum prouenit, quòd pax in terris est, id omne mundus beneficio Christianorum habet. Atq; sic hospes beneficio fruitur exulum & aduenarum. Deus benedixit Laban propter Iacob, Aegypto propter Ioseph, Syriæ propter Naëman, Persiæ propter Danielem. Sic hodie quoq; facit. Ciuilis status, omnes politiæ, regna & Prouinciæ stant & manent sola ordinatione diuina, et per piorum preces, hæ duæ sunt columnæ,

quibus hæc mundi machina sustentatur. Si eò res deducatur, ut Dei uerbum, & piorum preces desinant, de Mundo actum erit.

Quid promittit Christus credentibus?

Sic ait: Quicquid petieritis in nomine meo, faciam, ut glorificetur Pater per filium. Hìc Christus ostendit, quam utilitatem sua ad Patrem itio sit allatura. Veluti si diceret: Per meam paßionem, mortem, et resurrectionem, Satanam, mortem, peccatum & infernum uincam, & ad dextram Patris sedebo, ut potenter imperem, & omnia mihi subijciam, ut poßim dicere Satanæ, Morti, Orco: Summittite uos meis pedibus. Et uobis Apostolis et Concionatoribus: Tu Petre, tu Paule, tu Thoma, eunres prædicate huic regno, isti Prouinciæ, illi urbi, meum uerbum, sacrosanctum Euangelium meũ. Si uos accipiunt, pacem illis annunciate, quæ est diuina benedictio. Sin minus, tum funditus euertite, et in cineres redigite, non gladijs, hastis, & armis, sed oratione. Nam pro quibus preces funditis, illa erunt in flore & honore: pro quibus non oraueritĩs, ea radicitus delebuntur. Sicut multis nationibus, ut Iudææ, Aphricæ, Asiæ, Græciæ, & alijs complurbus accidit.

Quæ est compendiaria huius Euangelij summa?

Christus unus Deus, una substantia cum Patre est.

est. Qui Christo non credit, is nunquam ad notitiam Patris peruenturus, multò minus ad sempiternam beatitudinem. Christus enim est uia, et ueritas & uita. Qui eam uiam rectè sequitur, is errare nō poterit. Qui in ueritate manet, is falli non poterit. Et si quis in media morte esset, huic incumbens Christo, necesse est eum per mortem & infernum transire ad uitam æternam: id quod nobis Deus propitius largiatur, Amen.

IN DIE IOANNIS BAptistæ, Euangelium, Lucæ 1. cap.

ELizabethæ uerò impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt uicini & cognati eius, quòd magnificè Dominus misericordia sua usus esset erga illā, & cōgratulabantur ei. Et factum est in die octauo, uenerunt ad circuncidendū puerum, & uocabāt eum nomine patris sui, Zachariam. Et respōdens mater eius, dixit: Nequaquā, sed uocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illā: Nemo est in cognatiōe tua, qui uocetur isto nomine. Innuebāt autem patri eius, quid uellet uocari eum. Isq; postulatis tabellis scripsit, dicēs: Ioānes est nomē eius. Et mirati sunt uniuersi. Apertum est

autem

autem os eius ilicò, & lingua eius, & loquebatur laudans Deum. Et peruasit timor per omnes uicinos eorum, & per omnem montanam regionem Iudęæ diuulgabantur omnia uerba hæc: & posuerunt omnes qui audierant, in corde suo, dicentes: Quisnam puer hic erit? Et manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius repletus est spiritu sancto, prophetauitq́;, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, quia uisitauit & fecit redemptionem populo suo. Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo fuerunt, Prophetarum suorum. Fore ut seruaremur ab inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Vt uteretur misericordia erga patres nostros, ac memor esset testamenti sui sancti. Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiremus illi, in sanctitate & iustitia coram ipso, cunctis diebus uitæ nostræ. Et tu puer Propheta altissimi uocaberis: præibis enim ante faciem Domini, ad parandum uias eius. Ad dandam scientiam salutis plebi ipsi-
us,

us, per remissionem peccatorum eius: Per uiscera misericordiæ Dei nostri, qui bus uisitauit nos oriens ex alto. Vt illucesceret his, qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis. Puer autem crescebat, & corroborabatur spiritu, & erat in deserto, donec ueniret dies, quo ostendendus erat apud Israëlitas.

ARGVMENTVM.

Nascitur effœta sanctus de matre Ioannes,
Zacharias grates carmine lætus agit.

Qua de re hoc agit Euangelium?

Primum de natiuitate Ioannis Baptistæ,
Secundò, de eius circuncisione,
Tertiò, de carmine encomiastico patris eius Zachariæ.

Qualis erat natiuitas Ioannis?

Admirabilis: Nam & conceptio & natiuitas eius ab Angelo adnunciantur. Ex sterili, & muliere, quæ admodum anus erat, nascitur. Pater Zacharias ob suam incredulitatem mutus factus. Mater Elizabeth prophetizabat. In eius natiuitate multi gratulantur. Vicini admirantur. Eius pater pulcherrimum canit hymnum, suauißimum illud carmen, Benedictus. Mirabili ratione Ioannes conceptus, & natus est. Admiranda ratione in deserto

to uixit, in summa temperantia. Eius cibus erant locustæ, et mel syluestre: eius uestimenta erant ex pilis camelorum texta, & pellicea circa lumbos suos zona cingebatur. Prædicabat pœnitentiam, monstrabat Christum saluatorem digito, & baptizabat eum in Iordane. Non minus mirabili ratione mortuus, nempe ab Herode propter Herodiadem captus, & in carcere decollatus. Et in summa, omnia plena miraculis fuere, quæ circa hunc Ioannem facta sunt. Nam & in hoc missus erat, ut admirando Dei filio, Iesu Christo testimonium perhiberet.

Quid opus erat Christo Ioannis testimonio, cùm Ioan. 5. dicat: Ego testimonium habeo maius testimonio Ioannis?

Per se quidem Christus nullo alieno indigebat testimonio, uerùm propter nos miseros homines, misit Deus Ioannem, ut testaretur de Christo, Ioan. 1. At mundus nulli testi (præsertim in grauibus, & arduis causis) fidem habet, nisi sit honestus nomine, & genere, rectæ deinde & liberalis uitæ. Ideò Lucas tam propriè describit Ioannis ortum, stirpem & genus, patrem ac matrem. Ad hæc mirabilem eius conceptionem, natiuitatem, uitam, & mortem.

Quomodo Lucas describit Ioannis originem?

Sic

Sic ait: In diebus Herodis, Regis Iudaeae, erat ſacerdos quidam, nomine Zacharias, de uice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Erant autem ambo iuſti coram Deo, uerſantes in omnibus praeceptis, & iuſtificationibus coram Deo irreprehenſibiles. Haec eſt S. Ioannis genealogia, qua commendatur ab honeſtis parentibus, quòd ex ſacerdotum genere fuerit oriundus.

Quomodo Lucas eius conceptionem deſcribit?

Sic inquit: Elizabeth erat ſterilis, & ambo proueftae aetatis. Factum eſt autem, cùm Zacharias ſungeretur ſacerdotio in ordine uicis ſuae coram Deo, ſecundum conſuetudinem functionis ſacerdotalis, ſors illi obuenit, ut odores incenderet, ingreſſus in templum Domini, & omnis multitudo populi precabatur foris tempore thymiamatis. Apparuit autem illi Angelus Domini, ſtans à dextris altaris, in quo thymiamata ſolent adoleri. Et Zacharias turbatus eſt eo uiſo, ac timor irruit ſuper eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua, Vxorq; tua Elizabeth pariet tibi filium, & uocabis nomen eius Ioannem, & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi ſuper eius natiuitate gaudebunt. Et impletis diebus officij eius, abijt in domum ſuam. Poſt hos autem dies concepit Elizabeth uxor eius,

eius, & occultabat se mensibus quinque, dicens: Sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus me respexit, ut auferret probrum meum inter homines.

Quomodo describit eius natiuitatem?

Sic ait: Elizabethæ *uerò impletum tempus pariendi, & peperit filium.* Et *audierunt uicini & cognati eius, quòd magnificè* Dominus *sua misericordia usus esset erga illam, & gratulabantur ei.*

Quomodo eius uitam describit?

Sic inquit Angelus: *Magnus erit coram Domino, & uinum siceramq; non bibet.* Et *spiritu sancto implebitur iam inde ab utero matris suæ, multosq; filiorum Israël conuertet ad* Dominum Deum *ipsorum.* Et *ipse præcedet ante illum in spiritu & uirtute* Heliæ, *ut conuertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam iustorum, ut paret Domino plebem perfectam.*

Quo pacto describit miracula hîc ædita?

Sic inquit Lucas: Cùm Angelus Dei Zachariæ *nunciasset, uxorem eius filium parituram, dixit ille ad* Angelum: Quo *argumento istuc cognoscam?* Ego *enim sum senex, & uxor mea prouectæ ætatis est.* Ac *respondens* Angelus, *dixit ei:* Ego *sum Gabriel, qui asto in conspectu* Dei, *missusq; sum ut loquar ad te, & hæc tibi læta nunciem.* Et *ecce futurum est, ut sis tacitus, nec fari poßis, ad eum usq;*

diem, quo hæc fiant. Eò quòd non credidisti uerbis meis, quæ implebuntur suo in tempore. Et erat populus expectans Zachariam, & mirabantur, quòd moraretur in templo. Egressus autem non poterat loqui illis. Et cognouerunt quòd uisionem uidisset in templo. Et ipse innuebat illis, permansitq; mutus.

Quando circuncisus est Ioannes?

Octauo die (inquit Lucas) factum est, uenerunt ad circuncidendum puerum, & uocabant eum nomine patris sui, Zachariam. Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed uocabitur Ioannes.

Quis matri retulerat, quòd illi nomen Ioanni inditum esset?

Facta est hîc uates: Angelus Dei patri quidem in templo nunciârat, quòd illi nomen Ioanni uocetur. Posteaquàm autem propter suam incredulitatem mutus factus, suæ ipsum uxori id indicare non potuisse probabile est. Quare afflata numine hîc loquitur Elizabeth.

Quid cognati & uicini ad hæc dicunt?

Dixerunt ad illam: Nemo est in cognatione tua, qui isto uocetur nomine.

Quid autem pater ad hæc?

Innuebant autem patri eius, quid uellet uocari eum, isq; postulatis tabellis, scripsit, dicens: Ioan-

nes est nomen eius. Et mirati sunt uniuersi. Apertum est autem os eius ilicò, & lingua eius, & loquebatur laudans Deum. Et factus est timor super omnes uicinos eorum, & per omnia montana Iudaeae diuulgabantur omnia uerba haec. Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quinam puer hic erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias, pater eius, repletus est spiritu sancto, prophetauitq́; dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, quia uisitauit & fecit redemptionem populo suo &c.

Quid agit Zacharias in hoc suo encomiastico carmine?

Tria praecipuè: Primùm ostendit, misericordem Deum post longam expectationem suum populum clementer uisitasse, & regnum in hoc mundo incepisse secundum diuinam suam promißionem, Patribus & Prophetis factam. Secundò docet, in quo huius regni cardo uertatur, quidq́; huius regni rex agat. Tertiò, nos de regno Christi certiores facit, quòd praesens sit, ne id in dubium uocemus, dicens, Prodromon eius Regis adesse, qui Rex uestigia ponè lecturus.

Quid in prima parte huius cantici?

Sic ait: Benedictus Dominus Deus Israël, quia uisitauit, & fecit redemptionem plebis suae. Et erexit cornu salutis nobis. Ac si diceret: Deus tandem post diutinam expectationem suum populum

benignè

benignè uisitauit, & regnum exorsus, non quidem Mundi, sed gratiæ, Regnum salutis & felicitatis.

Cur tale regnum Cornu appellat?

Eò quòd Euangelio quasi cornu prosternit quicquid in mundo illi aduersatur, Satanam, mundum, carnem, & sanguinem, rationem & opinionem.

Cur cornu salutis appellat?

Propterea, quòd Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Alia regna suos habent titulos, à multa potentia, diuitijs, prouincijs, & populis. Hoc regnum Christi nomen habet à salute. Est enim regnum iustitiæ, & æternæ salutis. Alia regna sunt momentanea, & finem sortiuntur. Hoc Christi regnum, æternum est regnum. Hîc initium sumit in fide & gratia. Illic autem perficitur in æterna maiestate & gloria. Et qui in hoc agit regno, etsi debilis, & æger fuerit, non est illi impedimento futurum, modò in Deum fiduciam fixam, & hunc regem Christum in conspectu habeat, tum nihil erit incommodi aut periculi.

Vbi Deus illud regnum erexit?

In domo Dauid pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo fuerunt, Prophetarum suorum.

Cuinam erexit?

Credentibus omnibus, cùm ex Iudæis, tum ex gentibus.

Ad quem usum, Quid facturus?

Vt nos redimeret ab inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos. Ad *faciendam misericordiam cum* Patribus *nostris, ac ut memor esset* Testamenti *sui sancti:* Et *iurisiurandi, quod iurauit ad* Abraham, *patrem nostrum, daturum se nobis.* Hoc *est, creabit pacem nobis ab omnibus inimicis nostris, cum uisibilibus, tum inuisibilibus.*

Cur autem id faciet?

Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiremus ipsi.

Quæ huius cultus erit forma?

Non *in seruili timore, non in externis excogitatis operib. & ceremonijs, neq; in* Pharisaica *iustitia, sed in sanctitate & iustitia ipsi placente: in spiritu & ueritate: cor enim exigit, nec hypocrisi sibi satisfieri patitur.* Nos *totos & integros uult, aut nihil.* Ferre *non potest, ut cor bipertitum sit et dissonum, cuius medium ad* Deum, *& altera medietas ad mundum spectet.*

Vbi certificat nos, hoc regnum Christi præsens esse?

Dicit *præcursorem regis* Christi, *suum filium* Ioannem, *in foribus esse, & declarat eius officium, dicens:* Et *tu puer* Propheta *altißimi uocaberis: uerus* Angelus Dei, *non literis denuncians futura, sicut alij prophetæ, sed* Apostolus, *qui regem* Christum *digito monstret, & mundo manifestum reddat.*

dat. Praeibis enim ante faciem Domini, ad parandum uias eius. Hoc est, legem & pœnitentiam prædicabis, grandia peccata, incredulitatem, Idololatriam, & his similia ex cordibus hominum euulsurus, ad dandam scientiam salutis plebi eius.

In quo sita hæc scientia?

In remißione peccatorum.

Vnde originem trahit ea remissio?

Per uiscera misericordiæ Dei nostri, in quibus uisitauit nos oriens ex alto, qui est Iesus Christus Dei filius. Nam è cœlo descendit, & mundo apparuit.

Quibusnam illuxit?

His qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis: Voluit enim Christus uerus pastor & Archiepiscopus, ex Iudæis & Gentibus unum ouile fieri, & omnium hominum hunc Christum suscipientium pedes in uiam æternæ pacis dirigi.

Cur ei Ioannes Baptista natus fuit?

Vt præcurreret Christo, quemadmodum aurora solem præcedit, seruus suum Dominum, & amicus sponsum. Verus erat futurus præco, qui præter uitæ sanctimoniam, etiam sic fungeretur suo officio, ut omnibus concionatoribus iure in exemplum proponeretur. Non solùm enim legem prædicabat

& poenitentiam, uerumetiam omnes homines ad Christum praesentem ducebat, dicens: Ecce hic agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Cur oportuit eum hoc nomine (Ioannes) uocari?

Quia gratificantem & laetificantem Saluatorem Christum, non modò praedicaturus, sed & digito monstraturus, aequum erat, ut Ioannes, hoc est, gratia auctus, gratiosus, gratum faciens, uocaretur, ut nomen & tempus consonarent. Tum enim instabat tempus, quo Deus pater toti mundo uoluit gratiam facere, & misericordiam exhibere. Inde oportuit omnia laetissima & iucundissima ostendi, quaecunq; hîc, cùm in natiuitate, tum in circuncisione gerebantur. Nam ibi gaudebant omnes homines, Parentes, cognati, uicini, benedicentes & gratias agentes Deo. Ita nos quoq; Deo gratias agamus, simul etiam precemur, ne hoc nobis tempus quoque salutis proroget, ut per Christum omnium peccatorum remissionem consequamur, aeternaq; uita eius freti auxilio potiamur, Amen.

IN DIE PETRI ET PAVLI, Euangelium, Matthaei XVI. cap.

CVm uenisset autem Iesus in partes Caesareae, eius, quae cognominatur Philippi, interrogauit discipulos suos, dicens

dicens

dicens: Quem me dicunt homines esse, filium illum hominis? Illi uerò dicebant: Alij quidem Ioannem Baptistam, alij uerò Heliam, alij uerò Hieremiam, aut unū de numero Prophetarum. Dicit illis: At uos quem me dicitis esse? Respondens autem Simon Petrus, dixit: Tu es Christus ille filius Dei uiuentis. Et respondens Iesus, dixit illi: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. At ego uicissim tibi dico, quòd tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non ualebunt aduersus illam. Et dabo tibi claues regni cœlorum, & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis.

ARGVMENTVM.

Esse Dei Natum Petrus testatur Iesum,
Aethereæ claues accipit inde domus.

Quid hoc tractat Euangelium?

Tria potißimùm: Primùm interrogat Christus suos discipulos, quis rumor de ipso sit in populo, quidq; de ipso sentiant homines. Deinde respondet Petrus omnium eorum nomine, dicens: Tu es Christus ille filius Dei uiui. Tertiò promittit Petro, quòd super hanc confeßionem suam ædificatu-

rus ſit Eccleſiam, & ipſi claues regni cœlorum daturus.

Cur tam exactè quærit Chriſtus quid homines de ipſo ſentiant?

Haud dubiè non ambitione adductus facit: Quid enim Chriſtus temporariam & humanam curaret gloriam, qui ſuam apud Deum patrem in cœlis immortalem habebat gloriam? Neq; ſanè ex ignorantia facit. Qui enim ſcrutator eſt omnium cordium & cogitationum, non opus habet ut ſolicitè interrogет. Nathanaëlem ſub ficu uiderat, Ioannis 1. Et norat Lazarum ægrotum, mortuum & ſepultum, Ioannis 11. qui lateret eum quid homines de ipſo ſentirent, & dicerent?

Cur ergo interrogat?

Id duabus de cauſis facit: Primum propter diſcipulos, ut hac occaſione ſeipſum ſuis Apoſtolis manifeſtius explicet. Quando enim eos elegerat, ut Euangelion in toto terrarum orbe prædicarent, uoluit quoq; in cognitione Chriſti eos maximè omnium eruditos, ut quis eſſet, & quid de ipſo ſentiendum eſſet, certò ſcirent. Secundò, propter populum, ut perſpicuè ſcirent quem ſectarentur, ſiquidem tam uariæ ſententiæ, & opiniones de Meßia in Iudaico populo erant. Quidam enim dicebant Ioannem Baptiſtam eſſe Chriſtum. Alij Heliam eſſe ſentiebant, aut aliquem Prophetarum. Tam uariæ ſententiæ, & opiniones hodie quoq; ſunt de uerbo

Dei, quod cùm audiunt quidam homines, in tantum ſtuporem conijciuntur, ut palàm audeant affirmare, ſe nullam religionem tantiſper ſectaturos, dum concordi omnium ſententia decernatur, quæ ſit uera religio: atq; hi diu expectent oportet. Semper enim uerbo Dei ab exordio uſq; mundi contradictum, & contradicetur quandiu hoc ſeculum ſteterit.

Da exemplum.

Moſi in Aegypto reſiſtebant omnes ſacerdotes, ſapientes & incantatores. Elias habuit aduerſarios omnes ſacerdotes Baal. Hieremiæ omnes Pſeudo prophetæ aduerſabantur. Chriſto omnes Pontifices, Phariſæi, Scribæ. Apoſtolis omnis mundus, Chriſtianis in primitiua Eccleſia non ſolùm Tyranni, & ſanguinarij, uerumetiam Hæretici. Et non aliud certius emergentis Euangelij ſignum eſt, quàm publica de religione diſcordia, & hominum maligna iniquitas. Si concordia in religione ſperanda fuiſſet, certè tempore Chriſti, Pauli & aliorum Apoſtolorum, qui haud dubiè ſui ſimiles nunquam in miniſterio habuere, contigiſſet. Quo autem tempore unquam grauiores de religione diſſenſiones fuere, quàm illo ipſo tempore? Videte ſaltem quàm diuerſæ fuerint hominum ſententiæ de Chriſto, Alius ſentiebat ipſum eſſe Ioannem Baptiſtam, alius Heliam, alius Hieremiam, &c. Et hæ quidem opiniones beneuolorum & æquanimorum

hominum erant. Alij autem Sycophantæ, uocabant eum uinipotorem, amicum publicanorum, Samaritanum, & à Beelzebub obsessum. Quòd si id illo tempore accidit, cùm mundus adhuc quasi in flore esset, Quid nunc accideret, quando ad extremas mundi fæces uentum est, hoc in seculo, quo abundat iniquitas, & refriguit charitas, inuisa est ueritas, omnesq; uirtutes extinctæ iacent.

Quid autem discipuli de Christo dicunt? quem ipsum esse sentiunt?

Petrus respondet omnium eorum nomine, dicens: Tu es filius Dei uiui.

Hæc memorabilis est confeßio.

Admodum: Hæc confeßio est summa, scopus, & fundamentum Euangelij, & doctrinæ Christianæ, Quòd Christus est Dei filius, & in eo benedicendæ omnes gentes terræ. Qui hanc habet confeßionem, is uerus Christianus.

Vnde oritur hæc confeßio?

Non ex carne, aut sanguine, sed à cœlesti parente. Respondet enim Christus Petro, & dicit ei: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis. At ego uicißim tibi dico quòd tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam. Et portæ inferorum non præualebunt aduersus eam, & ego dabo tibi claues regni cœlorum. Quodcunq; ligaueris

ris super terram, erit ligatum in cœlis, et quodcunque solueris super terram, erit solutum in cœlis.

Num hæc Christi uerba ad solum Petrum pertinent?

Si soli Petro hæc facta fuissent uerba, ubi reliqui manerent Apostoli? An non & illi beati erant? An non & illis notitiam Christi Deus reuelasset? An non illi quoq; potestatem haberent ligandi & soluendi, peccata seruandi, & remittendi? Quid ergo inde futurum? Cur Christus duodecim eorum elegit, si uni soli tradidit? Somnia sunt. Quicquid Christus hic decimosexto capite soli Petro dicit, id in 18. cap. omnibus dicit, & ait: Quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo, & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta in cœlo, & Ioan. 20. ca. inquit Christus: Accipite spiritum sanctum. Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcunq; retinueritis, retenta sunt.

Quid sibi uult Christus, cùm inquit: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?

Hæc Petra, super quam Ecclesia Christi tanquam fundamentum ædificata est, neq; Petrus, neq; Paulus, neq; Angelus, neq; homo est. Necesse est eiusmodi esse petram, quæ coram Satana, & omnib. inferorum portis consistat, id nullus hominum faciet, siue Petrus, siue Paulus sit. Dauid cùm dicit

Psal.

Psal. 145. Non iustificatur in conspectu Dei omnis uiuens. Ac Petrus Christum ter negauit, & paulò post hoc Euangelion, Iesus eum Satanam appellat: Abi post me Satana, inquiens, es enim mihi obstaculo, qui non sapis ea quæ sunt Dei, sed ea quæ sunt hominum.

Vnde est igitur quòd sanctus Petrus in petram & Caput Ecclesiæ constituitur?

Inde adeò est, Christus Petrum ubiq; prætulit, nempe in domo Archisynagogi, Matth. 9. In clarificatione, quæ facta in monte Tabor, & in expendendo statere, Matth. 17. cap. & in horto. Inde colligunt quidam Petrum aliquid plus fuisse, quàm cæteros Apostolos, Quia uerò fortè accidit, ut Romanus Imperator tanquam summa potestas in terris, in rebus præsentibus, Romæ habitaret, subijt illorum animos, æquum esse, quemadmodum Imperator Dominus omnium terrarum in rebus ciuilibus, ut eodem modo Romanus Episcopus dominus esset super omnia in rebus spiritualibus. Et eiusmodi cogitationes ex uoto illis cesserunt, ut tandem se extollerent, & dominos constituerent super ciuilia & spiritualia.

Rectè ne igitur facit, qui se dominum adeò super omnes Magistratus constituit?

Cùm Christus quinq; millia uirorum pauisset in

deserto,

deserto, Ioan. 6. rapere ipsum uolebant, ut regem ipsum facerent, Sed secessit in montem. Coram Pilato dicebat: Meum regnum non est de hoc mundo, Ioan. 18. Et in cœna aiebat: Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem super eas habent, benefici uocantur. Vos autem non sic &c. Luc. 22. Et S. Pet[illegible] Acto. 3. Aurum & argentum nõ habeo, &c. Sed h[illegible]c omnia nihil effecerunt. D. Petrus iuxta nostratum sententiam ex pauperculo piscatore à Bethsaida factus est Imperator & Dominus cœli & terræ, Rex Siciliæ, Sardiniæ, & Corsicæ, Dux Spoleti, Comes Venusinorum, & Sabinorum, Marchio Anconæ, & Campaniæ, &c. Nec sanè pœniteat eum relictæ nauis & retis. Sed reuera nunquam in animum induxit Diuus Petrus, quòd sic uelit Petra esse Ecclesiæ. Non Ioannem Baptistam, neq; Heliam, neq; Hieremiam, neq; ullũ Prophetarum uolebat agnoscere talem petram, quomodo ipse sibi hunc uendicaret honorem, ut uelit esse petra, cùm longè se inferiorem Ioanne, Helia, & Hieremia existimet?

Atqui Christus Petrum appellat Kephas, quod significat Petram.

Illud nomen Petrus sortitus in prima uocatione, cùm ipsum frater eius Andreas ad Christum adduceret, tum intuitus eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Iona, tu uocaberis Cephas, quod sonat, si interpreteris,

terpreteris, lapis, Ioan. 1. Et quemadmodum Deus Euam uocabat Ischa, hoc est, uiraginem, à uocabulo isch, quod signat uirum. Et nos, qui sub Cæsare sumus, Cæsareani dicimur. Ita Christus quoque uocat Petrum, Petreium, robustum, eò quòd ueram Petram, Christum, tam liberè & apertè fateretur. Si enim sententia Christi fuisset, suam Ecclesiam super Petrum ædificare, sanè disertè dixisset: super hunc Petrum. Nunc autem omnino diuersum loquitur, super hanc Petram inquiens, totam dictionem mutans. Inde est quòd Cyprianus hæc uerba Christi sic interpretatur, Ac si Christus diceret: Aedifico te Petrum super me, non me Christum super te. Ego enim solus sum uera petra Ecclesiæ, quem tu confessus es. Et super hanc confeßionem, qua me uocas uiui Dei filium, ædificabo Ecclesiam meam. Christus enim fundamentum est Ecclesiæ, 1. Corinth. 3. & 2. Corinth. 10. 1. Petri 2.

Et si maximè ex uoce, Petram, Petrum facere uelimus, sequentia tamen uerba non patiuntur, ubi Christus inquit: Et portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Ac scimus quidem Petrum superatum fuisse, cùm Christum negaret. Quare neq; Petrus, neq; alius, petra est, sed Christus. Aedificium autem, quod super illud fundamentum Christū superstructum est, sunt omnes Christifideles, ueri & politi lapides.

Qua

Quæ sunt claues, quas Christus Petro & alijs Apostolis tradidit?

Hæ claues, non sunt materiales claues, ex ferro aut ære, neq; humana aliqua potestas, sed diuinum illud organon, quo cœlum aperitur & clauditur. Atq; hoc instrumentum est Euangelion Christi. Nam sicut una tantùm est ianua, nempe, Iesus Christus, ita una tantùm est clauis, unum Euangelion. Euangelium est sola & unica clauis Dauid, quæ aperit & claudit. Nemo poterit ad cognitionem Christi peruenire, multò minus ad uitam æternam, nisi per solam prædicationem Euangelij. Quia uerò Euangelion communis est doctrina, quæ in totum orbem diuulganda erat per Apostolos, profectò hoc mandatum non soli Petro, sed alijs quoq; omnibus Apostolis datum. Nempe, ut prædicarent Euangelion, sacrosancta administrarent Sacramenta, absoluerent, & peccata remitterent. Ea est clauium potestas, qua Apostoli fideliter usi sunt, similiter & discipuli eorum. Deinde & prisci pij Episcopi. Quanquam tandem in horrendum abusum peruenerunt.

Quæ est summa huius Euangelij?

Nos debemus super Christum, tanquam super unicam petram Ecclesiæ, ædificare. Solum Christum pro nostro mediatore & saluatore habere. Euangelio & Dei Verbo soli adhærere. Sicut arx quæ super petrã ædificata est, suo stabili innititur

fundamento,

fundamento, siue procellæ, siue tempestates irruant. Itaquoq; cor fidele innititur Christo. Et in summa: Magna sanè & potens adeò res est esse Christianum: Habet enim is Deum pro Patre, Christum pro fratre, Spiritum sanctum pro duce, hanc uitam pro peregrinatione, cœlum pro hæreditate, Satan isti nihil nocere potest. Mors illi est conclusio omnium solicitudinum, & principium omnis gaudij. Apud fratrem suum habet absolutionem: in cruce, & afflictione discit uoluntatem Patris. Ibi tum sequitur cor lætum, & tranquilla conscientia, omnes dolores fiunt tolerabiles, omnes afflictiones dulces, omnia onera leuia. Deniq; Deus nobis dat gratiam, & salutem, denique æternam uitam, Amen.

IN DIE VISITATIONIS
Mariæ, Euangelium, Luc. I cap.

EXurgens autem Maria in diebus his, abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, ac salutauit Elizabeth. Et factum est, ut audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, saljt infans in utero eius. Et repleta est spiritu sancto Elizabeth, exclamauitq; uoce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus

ctus fructus uentris tui. Et unde hoc mihi, ut ueniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est uox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in utero meo. Et beata quę credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo seruatore meo. Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magnifica, qui potens est, & sanctum nomen eius. Et misericordia eius in progeniem et progeniem, timētibus ipsum. Præstitit robur per brachium suum, dispersit superbos cogitatione cordis ipsorum. Detraxit potentes de sedibus, & euexit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum, ut memor esset misericordiæ. Sicut locutus est ad patres nostros, ipsi Abraham & semini eius in æuum. Mansit autem Maria cum illa circiter mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.

ARGVMENTVM.

Aduenicns peregrè cognatam uirgo salutat,
Atq; Deo laudes carmine grata canit.

Quid hoc tractatur Euangelio?

Principaliter tria: Primùm, per quos homines Deus pater summum opus incarnationis Christi reuelarit, nempe per duas mulieres.

Deinde colloquium Mariæ & Elizabethæ.

Tertiò, Canticum Mariæ, suauißimum carmen, Magnificat anima mea Dominum, &c.

Quod magnum illud opus Dei, quod hîc in terris operatus est?

Magnifica & admiranda Deus hîc in terris edidit opera plurima, sed nullum maius, aut admirabilius est, quàm incarnatio Christi. Nam immortalis Deus factus homo mortalis. Atq; Deus per id opus hominem redemit à potestate Diaboli, mortis, peccati, & inferorum, patrem reconciliauit, & cœlum reserauit.

Quos sibi Deus homines ad reuelationem huius operis delegit?

Duas pauperculas ac simplices mulieres, Mariam & Elizabetham.

Cur non magnos, potentes, diuites, & doctos homines?

Vir prudens huius seculi, haud dubiè ad tale opus potentißimos, sapientißimos, & doctißimos quosq; delegisset, quò maior fuisset autoritas & dignitas rei. Alius quispiam consuluisset, ut primitus

Augusto

Augusto Cæsari, aut Herodi regi denunciaretur, qui deinde imperatorijs mandatis, & regijs edictis, uniuerso mundo publicassent. Verum Deus non eius est sententiæ: uoluit ad hoc opus neq; Augustum, neq; Herodem, neq; Pontifices, neq; scribas electos, sed pauperes & simplices mulierculas, nempe, Mariam uirginem, & Elizabetham anum: & impletum hic dictum Pauli, 1. Corinth. 1. Quæ stulta erant coram mundo, delegit Deus, ut pudefaceret sapientes.

Quid faciunt duæ hæ mulieres?

Conueniunt, & mutuò se salutant, comiter colloquuntur, deinde de incarnationis mysterio, & de liberatione humani generis sermones serunt. Interim Elizabetha spiritu sancto repleta, agnoscit Mariam matrem Domini. Sed & infans Ioannes, adhuc in utero gestatus, ad uocem salutationis Mariæ exultat, atq; sic saluatorem suum cum gaudio excipit. Et Maria se continere nequit, quin erumpat præ gaudio in laudes diuini nominis, carmine encomiastico ac triumphali.

Quomodo Maria ad Elizabetham uenit?

Exurgens, inquit Lucas, Maria in diebus his, abijt in montana cum festinatione citissimo gradu.

Cur adeò cum festinatione?

Duæ erant illi causæ. Audierat enim ex Angelo, quòd cognata sua Elizabeth in senectute ipsius

grauida facta esset, exurgit ergo summa cum festinantia, ut ipsa coràm miracula Dei uideat & audiat. Deinde propter pudicitiam morum. Est enim castarum uirginum non diu in itinere morari, sed celerrimo cursu ad hominum cœtus tendere. Praeclarum enim & singulare ornamentum & decus est mulierum, maximè autem uirginum, si per publicam uiam honestè & modestè ambulent, non circunspectantes oculis emißitijs, nec fiant stationariæ, aut retrogradæ, cum quibuslibet obuijs nugantes, sed cogitent, ut quàm maturrimè domum redeant.

Num & in hoc itinere, Mariæ quoq; leuitas quædam morum, sicut in nostris adolescentulis, animaduertitur?

Nulla sanè, sed abijt festino cursu, nimimem salutat obuium, cum nemine nugatur in itinere, non circumspectat, sed tantùm cogitat quomodo ad suam cognatam Elizabetham perueniat, eam salutet, ei gratuletur, & felicitatem precetur, & ad tempus illi ministret, operaq; inseruiat. Quare exemplum præbet omnibus integris uirginibus & mulieribus, ut eodem modo & ipsæ agant in regia uia, in plateis, ut sint uerecundæ, & honestè incedant, non in singulis angulis concilium celebrent, nugando scilicet, Reipub. curam gerentes, sine suffragio populi.

Quid

Quid eueniet illis mulieribus & uirginibus, quæ hoc exemplum Mariæ non imitantur?

Plerunque peccatis & crimine inuoluuntur. Si Dina Iacobi filia domi mansisset, Gen. 34. cùm expatiaretur in Sichem spectatum mulieres eius regionis, non fuisset rapta & constuprata. Si uxor Vriæ se non lauisset in publico, spectante rege Dauide, non in crimen adulterij incidisset. Ideò Diuus Paulus ad Timotheum scribens: Volo, inquit, iuniores οἰκοδεσποτεῖν, hoc est, domum, non rempublicam administrare. Debent esse οἰκουροί, hoc est, custodes domus. Quare et Dauidi Psal. 68. mulier dicitur decus, seu ornamentum domus, non fori aut publicarum platearum. Sicut enim testudo suam ubiq; domum circumfert, ita quoq; mulier rei domesticæ curam ubiq; agat.

Quid Maria agit apud Elizabetham?

Comiter eam salutat, precaturq; illi omnia felicia, & prospera. Non est res exigua, aut uana, ubi Christiani se inuicem salutant. Vnde Christus Apostolis præcepit, Luc. 10. ut si quando ingrederentur domum, dicerent primùm: pax sit huic domui. Hoc certum est, si quando pius nos homo salutat, tum Deus è cœlo per eum hominem nos plurima salute impertit. Et qui eam salutationem grato accipit animo, tanquam à Deo depromptam, ei sanè

non potest malè cedere, sed haud dubiè saluti, & bene erit.

Quid respondet Elizabeth?

Lucas inquit: Vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in utero eius. Hoc est quod Angelus Zachariæ prædixerat, Ioannem adhuc in utero materno existentem spiritu sancto replendum. Hoc fulmen est, et ingens tonitru contra Anabaptistas. Si enim infans Ioannes adhuc in utero matris cõclusus, capax fuit spiritus sancti, quanto magis hi infantes, qui iam in mundum nati sunt? Si uero Spiritus sancti capaces sunt, cur non & Baptismi, siquidem Baptismus sigillum est fidei, & sancti spiritus signaculum.

Et Elizabeth quoq; repleta spiritu sancto, exclamauit uoce magna, ac dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui. Vnde hoc mihi, ut ueniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est uox salutatiõis tuæ in aurib. meis, exultauit præ gaudio infans in utero meo. Et beata quæ credidit, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt ei à Domino. Hic incipit colloquium Mariæ & Elizabethæ. Sed ô Deũ immortalem, quantum gaudij hic fuit, quàm familiares hic sermones fati sunt, quanta hic miracula sunt ædita? Creator uisitat creaturam, Deus hominem, Dominus seruũ, Magister discipulum, Mater Domini salutat matrem serui, Ioannes agnoscit Saluatorem, priusquã

cœlum aspexerit, & quia matres mutuò se salutant extrinsecus, infantes intrinsecus adhuc maternis in uteris conclusi, gaudent.

Quis Elizabethæ retulerat, quòd Maria mater Domini esset? necesse est eam perspicacioribus oculis usam fuisse.

Haud dubiè acutißimo uisu prædita fuit. Erat repleta spiritu sancto. Vbi uerò Spiritussanctus rectorem agit, ibi acutißimus est uisus, subtilißimus est auditus, sermo ardentißimus, opus beatißimum, omnes artes & sapientia in summo gradu. Ac laudat Mariam, non modò super omnes mulieres extollens, propter gratiam, quam Deus illi sine ipsius merito impertiuerat, sed summis quoq; laudibus uehit fructum uentris Mariæ. Imò inquit ex profundißima humilitate: Ego quidem meritò ad te uenirem, tibiq; ministrarē, et tu uenis ad me; ut mihi des operam, quo id sum consecuta merito? O beata es tu, quæ credidisti. Hic omnia fidei attribuit, quæcunq; Mariæ obtigerāt. Sicut & scriptura de Abrahamdicit, Gene. 15. Credidisse eum Deo, quod illi imputatum est ad iustitiā. Nam & Christus inquit Marci 9. Omnia poßibilia sunt credenti.

Licetne nobis quoq; ad eundem modum Mariam honorare, & laudibus celebrare?

Si dummus est Mariam iusto honore afficere, tum imitator exemplum fidei ipsius: honestè uitam agas, sicut ipsa egit, eius tibi pietatem propone: attamen perspice prius, ut ad Christi notitiam peruenias, quæ hic ab Elizabetha commendatur. Nam tametsi Mariam summis uehat laudibus, fatetur tamen, solum fructum Mariæ, suum Dominum esse, & illud adeò semen, in quo omnes gentes essent benedicendæ. Eiusmodi præconium Deo nihil derogat in suo honore. Imò cùm Mariam & alios Sanctos ad hunc modum laudamus, Deus in sanctis suis ad cœlum usq; attollitur, & digno honore celebratur. Siquidem quicquid usquam sancti boni fecerunt, aut habuerunt, Deo acceptum fertur, & adscribitur, & non Sanctorum operibus, aut meritis.

Quid respondet Maria ad uerba Elizabethæ?

Qum Elizabeth Dei miracula & opera diuinis in Maria celebraret laudibus, accensa quoque Maria, erumpit multo & ex imo pectore deprompto gaudio, encomiasticon, hoc est, celeberrimum carmen decantans, quod Magnificat est dulcißimum.

Quid Maria agit in hoc suo cantico?

Tres præcipuas Dei uirtutes & opera commendat, nempe, Dei misericordiam, Dei potentiam,

& Dei ueritatem, ac sic Deo tria epitheta, quæ titulos uocant, attribuit, quòd sit clementißimus, potentißimus, & ueracißimus in suis promißis.

Quomodo exorditur carmen suum encomiasticon?

Sic ait: Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quasi dictura: Suauißima Elizabeth, agnosco lubens, quòd mihi diuinitus, absq; ullo meo merito, obtigerit, usq; adeò gestit anima, & exultat spiritus meus præ gaudio, mea uita ac substantia, imò omnes meæ uires, sensus, cor, mens, & uoluntas in laude Dei occupata, & summa lætitia incedo, mea exhilarata conscientia, ut non poßim me continere, quin quantaquanta sim erumpam in commendationem nominis Dei. Atq; ô utinam omnia corporis mei membra uerterentur in linguas, quò liceret dominum seruatorem meum dignis laudibus ornare. Tam inæstimabilia & immensa bona, dona, & gratuita beneficia in me collata, deprehendo. Quare Deum non solùm (sicut Hypocritæ solent) ore celebrabo, sed anima mea magnificat eum. Hoc est, toto corde pro uirili mea Deum laudabo, & Spiritus meus diuino nomine illuminatus, eiq; adunatus, in nullo alio gaudebit, quàm quòd iam nunc mihi tam copiosam exhibuit misericordiam.

Vbi diuinam commendat clementiam?

Sic ait: Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ, Ecce enim ex hoc beatā me dicent omnes generationes. Cuius hæc sententia: Deus quidem facilè ditiores, pulchriores, & potentiores inuenisset uirgines, attamen diuinos suos oculos in me pauperculam & misellam coniecit puellam, meq; in matrem elegit, præter omne meritum, cogitatum, & uotum meum. Inde adeò beatam me prædicabunt omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Nihil omnino illi impoßibile, omnia potest, sanctum enim nomen eius. Imò usq; adeò sanctum, ut ne aliud quidem nomen sit, in quo salutem consequamur. Et misericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum. Nam Dauid inquit, Psalmo centesimo quadragesimoquinto: Dominus uoluntatem timentium se faciet, & clamorem eorum exaudiet, atq; saluabit eos.

Quomodo commendat Maria Dei omnipotentiam?

Sic porrò ait: Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Hancce potentiam Deus reipsa declarat. Primùm, quum dispergit superbos mente cordis sui, & omnia eorum consilia reddit irrita, sicut S. Petrus inquit, 1. Petr. 5. Deus resistit superbis, sed humilibus dat gratiam. Secundò, deturbat potentes de sede, & exaltat humiles. Sic Saul & Haman, qui sua potentia, diui-

tus tradita, abutebantur, deturbati, Dauid & Mardochæus euecti sunt. Tertiò, esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Sic famelicus Lazarus in sinu Abrahæ æterno gaudio & salute satiatur: Sed diues in inferno sepultus iacet, in sempiterno igne, & nullum habet solatium in æternum.

Vbi beata Maria Dei ueritatem commendat?

Sic pergit canere: Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ: Sicut ad patres nostros locutus est, Abraham, & semini eius in secula. Quasi diceret: Quicquid Deus clementissimus Abrahæ & semini eius promisit, id in me perfectum, non modò mihi, sed toti Israël, hoc est, omnibus Christianis saluti, non quidem ex merito nostro, sed ex benigna gratia & misericordia, quam Abrahæ promiserat. Hanc promissionem uoluit seruatam & ratam. Est ergo ueracissimus Deus.

Quid ex hoc discamus Euangelio?

Qui Christum profitemur, nos inuicem salutemus, optima quæq; precemur, amicitiam ac pacem colamus, concordiam custodiamus, mutuas tradamus operas, alter alterum auxilio, consilio, quibuscunq; denique rebus poterimus, iuuemus. Ad hæc Deum sedulò laudibus celebremus, & cantemus, pro suis infinitis bonis ac beneficijs gratias agamus

mus. Et si quando Deus nobis cruces, afflictiones, aduersitates, infirmitates corporis immittit. ut patienter feramus, cœlestia bona & æternam uitam affectemus & desideremus. Quod si fecerimus, Deus hic nos suo fauore, gratia, & misericordia, & in futuro æterna donaturus uita, Amen.

IN DIE MARIAE MAGDAlenæ, Euangelium, Lucæ VII.

ROgabat Iesum quidam ex Pharisæis, ut caperet cibum cum ipso. Et ingressus domum Pharisęi accubuit. Et ecce mulier quę fuit in ciuitate peccatrix, ut cognouit, quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrũ unguẽti, stansq; ad pedes eius à tergo flens, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui extergebat, & deosculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Videns autem Pharisæus, qui uocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret utiq; quæ & qualis esset mulier, quæ tangit ipsum, quia peccatrix est. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo quiddam, quod tibi dicam. At ille ait: Magister dic. Duo debitores erant cuidam creditori, unus debebat denarios

narios quingentos, & alter quinquaginta. Cùm autem illi non essent soluendo, cōdonauit utrisq;. Horum igitur, dic, uter eum plus diliget? Respondens Simon, dixit: Existimo, quòd is cui plus condonauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuā, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis capitis sui extersit. Osculum mihi non dedisti, hæc autem, ex quo intraui, non cessauit deosculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi. Remittuntur peccata eius multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus remittitur, is minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata remittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit, uade in pace.

ARGVMENTVM.

Vnguento Christum perfundit in æde Simonis
Fœmina peccatrix, saluaq; facta fide est.

Hoc

Hoc Euangelion qua de re dicit?

De tribus personis, De misera & peccatrice muliere, de Pharisæo & de Christo.

In hac muliere exemplum rectæ fidei, & ueræ habemus resipiscentiæ.

In Pharisæo tumidam superbiam, & falsam fiduciam in propriam iustitiam.

In Christo charitatem minimè fucatam, qui se hic sicut uerus arbiter interponit, inter hanc peccatricem, & Pharisæum, & æquißimè iudicat.

Qualis hæc mulier peccatrix?

Proculdubio non talis, quæ suis peccatis delectetur, & sibi placeat, sed sentit se non incedere recta uia, quare auxilium, consolationem & consilium à Christo petit.

Quotuplices sunt peccatores?

Triplices: Quorum primum genus est eorum, qui obstinati & præfracti sunt peccatores, quiq; in reprobam mentem traditi, neq; Deum neq; homines uerentur, sicut Pharao, Iudas &c. Secundum genus eorum est, qui coram Deo quidem sunt rei peccatorum, sed coram mundo sibi uidentur probißimi, & sanctißimi, quemadmodum Pharisæi & Hypocritæ, De quibus Christus inquit, Luc. 16. Vos estis, qui iustificatis uosipsos coram hominibus. Deus autem nouit corda uestra. Quia quod hominibus excelsum est, abominandum est coram Deo.

Tertium

Tertium genus eorum est, qui coram Deo & hominibus peccatores sunt, sed quia sua peccata agnoscunt, ipsisq; adeò displicent, & Dei gratiam orant, coram Deo iusti reputantur. Talis hæc mulier peccatrix fuit, similiter & Zachæus, & latro in cruce.

Quo hæc nomine mulier uocatur?

Lucas eius nomen non exprimit, sed simpliciter dicit fuisse eam peccatricem. Quidam uolunt fuisse Mariam Magdalenam, de qua septem dæmonia exierant, ut Lucas in sequenti capite narrat. At nihil refert nomen eius scire, satis est nouisse Christianum, Christum in hunc mundum uenisse, ut & uiros & mulieres à peccatis liberaret.

Quid hæc peccatrix facit?

Vt cognouit, quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, stansq; ad pedes eius à tergo flens, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui extergebat, & osculabatur, & unguento ungebat.

Quis Christum inuitauerat?

Simon Pharisæus.

Habet ne igitur Christus familiaritatem & consuetudinem cum Pharisæis?

Christus nullam prætermittebat occasionem docendi, prædicandi, & iuuandi, si qua spes melioris uitæ reliqua erat. Non suum quærebat commodum,

dum, nec tamen peccata & flagitia eorum approbabat, sed in hoc intentus erat, & incumbebat, ut dispersas, palantes, & perditas oues colligeret, miserosq; peccatores & peccatrices à perditis suis moribus & flagitiosa uita converteret.

Nihil ne hæc mulier Pharisæum formidabat?

Tantus erat ei dolor & pœnitentia de patratis peccatis, ut neq; hospitem neq; conuiuas reuereretur. Probè norat enim, quòd ipsa tanquam manifesta peccatrix in domo Simonis non admodum grata, ipsiusq; aduentus Pharisæis non iucundus, sed malè conciliatus esset. Attamen in Christum tantum amorem & fiduciam, ad hæc tam uehementem impetum concepit, ut omnibus ab oculis sepositis, præsenti animo ad Christum, qui ipse peccata remittere poterat, in conuiuio accumbentem se ingerat.

Quomodo se hîc gerit inter accumbendum?

Suis testatur lachrymis, ungendo, lauando, & extergendo pedes, quam habuerit fiduciam in Christum. Nos suo hoc exemplo uult doctos, quo animo debeant esse ij, qui apud Deum peccatorum condonationem consecuturi.

Quomodo probat suam fidem?

Operibus charitatis ac misericordiæ: cœpit enim lachrymis rigare pedes eius, & capillis capitis

sui

sui extergere, & osculari pedes eius, & unguento ungere. Haec sunt certa argumenta eius resipiscentiae, eius fidei & charitatis.

Qui sic?

Adeste animis: Sine dubio ex animo ipsi displicuerunt peccata commissa, atq; ad Christum tanto rapitur impetu, ut Pharisaeorum exprobrationes & dicteria nihil moretur, quod magnum signum fidei ipsius, sicut & Christus ipse testimonium ei perhibet, quum ait: Fides tua te saluam fecit. *Praeterea ista fides non est ociosa, aut sine operibus, sed ex omni se parte ostendit per dilectionem. Nam secundum consuetudinem eius regionis Christo suum caput precioso unguento ungebat, eiusq; pedes suis rigabat lachrymis, & sui capitis eos extergebat capillis.*

Ad eundem ne modum nobis quoq; faciendum?

Si uolumus salutem consequi, necesse habemus primum, ut agnitione peccatorum perculsi de emendanda uita, iuxta uerbum Dei, *rationem ineamus.* Deinde *credamus peccata nobis propter Christum remitti.* Postremo *oportet ut & fidem nostram, per opera charitatis & misericordiae declaremus, & manifestam reddamus, sicut in hac peccatrice uidemus & audimus.*

Quid est uera poenitentia?

Poenitentia est mutatio totius humanae uitae: Vt

cùm homo quisspiam sua agnoscit peccata, uidet & animaduertit, suæ uitæ rationem non esse iustam: audit præterea quòd Deus nullum peccatum impunitum sinat abire: atq; tum perterrefit ab ira Dei, & seuerissimo eius iudicio, à peccatis abstinet, ac uitam corrigere, & in melius commutare paratus, adeò ut deinde alio sit animo, aliud cogitet, loquatur, & operetur, quàm uel prius cogitauit, locutus & operatus est.

An eiusmodi quoq; pœnitentiam in hac cernimus peccatrice?

Sanè quidem: Oculi eius, quibus antè ad impudicum uisum abusa est, eius os ad uanas nugas distortum, eius capilli ad superfluum ornatum applicati, manus eius, pedes, omnia membra ad peccata designanda, omnia accommodata: eis nunc rectè utitur ad ministrandum Christo, suis lachrymis rigat eius pedes, extergitq; suis capillis, deosculatur suo ore, & ungit optimo unguento, firmiter credens Christo in manu esse, ut ipsam expurget & absoluat ab omnibus peccatis suis: Sicut ergo credit, ita fit illi.

Quid autem Pharisæus ad hæc ait?

Intra se ait, referente Luca: Hic si esset Propheta, sciret utiq;, quæ & qualis est mulier, quæ tangit ipsum, quia peccatrix est. Ex hisce cogitatis facilè est colligere, quomodo Hypocritæ affecti sint,

&

& quæ ſit Phariſæorum natura, nempe ut magnificè de ſe ſentiant, ſua opera & propria merita iactent, propriam iuſtitiam ſtatuant, & alios omnes præ ſe contemnant & deſpiciant. Atq; ea omnibus eſt innata hypocriſis, ſicut Propheta Iſeias inquit, cap. 9. Quiſq; eorum eſt hypocrita, & malum faciens, & omne os loquitur ſtultitiã. Atq; hi morbi non curantur, niſi Spiritus ſanctus adueniat, & ex ueteri Adamo nouum creet hominem.

Quid reſpondet Chriſtus ad cogitationes Pharisæi?

Facere non potuit, quin Phariſæo ſuam indicaret hypocriſin, & quidem ſeuerè eum reprehendit, reſpondit, ac dixit Simon, habeo quiddã, quod tibi dicam. At ille ait: Magiſter dic. Duo debitores erant cuidam creditori, unus debebat denarios quingentos, & alter quinquaginta. Cum autem illi non eſſent ſoluendo, condonauit utriſq;. Horum igitur, dic, uter eum plus diliget? Reſpondens Simon, dixit: Exiſtimo quòd is, cui plus condonauit. At ille dixit ei: Rectè iudicaſti. Et conuerſus ad mulierẽ, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, hæc autem, ex quo intraui, non ceſſauit deoſculari pedes meos. Oleo caput meum non unxiſti, hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi, Remittuntur peccata eius multa, quoniam dilexit multũ. Cui autem minus remittitur, is minus diligit.

Quid Christus hisce uerbis uult significare?

Vult quidem edocere, cur in hunc mundum uenerit, nempe propter peccatores. At nos omnes sumus peccatores, omnes Deo debemus: Imò quis in terris agit, qui dicere posset, se immunem esse à peccatis, & Deo nihil debere? Diuus Ioannes inquit: Si dixerimus, Peccatum non habemus, nosipsos fallimus, et ueritas in nobis non est. Et Sanctus Paulus, ad Romanos capite 3. inquit: Ommes peccauerunt, & carent gloria Dei. Iustificamur autem gratis per illius gratiam &c. Vertamus nunc quocunq; uelimus, attamen debitores Dei sumus. Vtinam uerè ex animo agnosceremus debitum, & crederemus Christũ debitum uelle remittere, ut deinde, sicut hæc mulier, gratũ quoq; declararemus animum, ueniam peccati expectantes, condonationem peccatorum oraremus.

Quam Christus fert sententiam de hac muliere?

Sic dixit Simoni: Multa remittuntur illi peccata, quoniam dilexit multum. Cui autem minus remittitur, is minus diligit. Et mulieri dixit: Remittuntur tibi peccata tua.

Quid? an hæc mulier remissionem peccatorum consecuta est per dilectionem?

Nequaquam: Qui potest humanum opus remis-

ſionem peccatorum parare, id quod ſolius Dei eſt? Gratis propter Chriſtum, cui fidem habet, remiſſionem peccatorum conſecuta eſt. Sicut ipſe Chriſtus poſtea dicit: Fides tua te ſaluam fecit.

Num huic id ſoli mulieri dictum eſt?

Huius mulieris exemplum imitare, & haud dubiè idem tibi, quod illi cõtigit, uſuueniet. Nam uerba Chriſti (Remittuntur tibi peccata tua) ad omnes nos pertinent, qui in Chriſtum credimus, ſicut in noſtro quoq; Symbolo cõfitemur, Credo ſanctam Eccleſiam, remiſſionem peccatorum. At Eccleſia nunquam non habet peccatores, ſicut ſcriptura teſtatur: Septies in die cadit iuſtus, & ſepties in die reſurgit. Ac perpetuò nobis orandum: Remitte nobis debita noſtra &c. Quia uerò ſine intermiſſione peccamus, neceſſe eſt nos aſſiduò remiſſionem peccatorum in Eccleſia in his uerbis Chriſti quærere & petere.

Quid dicebant Phariſæi, qui unà accumbebant, ad hanc abſolutionem?

Cœperunt dicere intra ſe: Quis eſt hic, qui etiam peccata remittit?

Quid reſpondit Chriſtus?

Dixit ad mulierem: Fides tua te ſaluam fecit: uade cum pace. Cuius hæc ſententia eſt: Vos admiramini & offendimini, quòd miſeræ huic muliercula

me do tam facilem & placidum. Ac sciatis, quòd non modò eam suscipio, uerumetiam meliorem & iustiorem reputo, quàm uos estis. Ipsa enim mihi credit, & omnem in me spem & fiduciam habet fixam. Quia uerò se sic mihi credidit & dedidit, cõfiduq; in me, remittam illi sua peccata: preterea etiam pacem ac securitatem conscientiae illi praestabo, ut pacem habeat erga Deum, & nunquam propter sua peccata rea agatur.

Quomodo hæc Christi uerba Pharisæis placuere?

Non admodum iucunda illis fuere, sed dura & acerba uisa sunt, attamen non magni adeò faciebant. Erant enim Hypocritæ, & Hypocritæ manebant, sicut omnes homines sua natura sunt, quando per spiritum Dei non ab hypocrisi ad ueritatem traducuntur.

Quid adumbrat hæc historia?

Pharisæus significat Iudæos, Mulier gentes. Iudæi Christum inuitabant, & rogabant ut ad se diuerteret, multis uotis & uehementi desiderio eius aduentum multos annos expetebant: Cùm autem uenisset, contemptui habebant. Gentes autem quamprimùm diuinam agnouere misericordiam, Christum obuijs ulnis suscipiebant. Pedes Christi sunt concionatores Euangelij, nam currere in scripturis significat prædicare. Pedes nos lachrymis rigemus, & capillis extergamus, ore deosculemur, &

& unguento ungamus. Hoc est, *in omnibus concionibus diuini uerbi nostra peccata ex animo deploremus*, Deo *confiteamur*, *& gratiam oremus*. *Ministris uerbi*, *& egenis fratribus rebus necessarijs ad uitam sustentandam prospiciamus*, *mutuo nos amore complectamur*, *& in omnibus afflictionibus inuicem consolemur*, *confortemus*, *& ad patientiam exhortemur*, *maximè illi*, *qui nobis* Dei *uerbum*, *& prædulce prædicant* Euangelium. *Sed hoc saluificum* Euangelium *propè obscuratum fuit*. Fons *intimarum lachrymarum*, *& resipiscentiæ ferè exiccatus fuit*. Fraterna *communio in auaritiam & priuatum commodum uersa*: O*sculum pacis in contentiones & discordias*. V*nguentum consolationis*, *in merum fucum & inuidiam commutatum*. O*mnia ideò corrupta fuere*, *& perdita cuncta*.

Quæ est summa huius Euangelij?

Habemus *in hac peccatrice peculiare gratiæ speculum*, *et præsentissimam in* Deum *fiduciã*, *pijssimum amorem in* Christum, *singularem humilitatem*, *& contemptum sui ipsius*. Ex *imo pectore ductos gemitus*, *& confessionem suorum peccatorũ*. P*romptissimum cultum* Dei, *uerè bona opera*, *quæ ex animo procedunt*, *& fidem sanctissimè declarant*. Eo *ex pacto sequuntur quoq; fauor diuinus*, *gratia*, *misericordia*, *condonatio peccatorum*, *& æterna uita*, Amen.

IN DIE S. IACOBI APO-
stoli, Euangelium, Matth. XX. cap.

ACcessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi, cum filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo. At ille dicit ei: Quid uis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dextram tuam, & alter ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petitis. Potestis bibere poculum quod ego bibiturus sum, & baptismate, quo ego baptizor, baptizari? Dicũt ei: Possumus. Ait illis: Poculum quidem meum bibetis, & baptismate, quo ego baptizor, baptizabimini: sedere autem ad dexteram meam et sinistram meam, non est meum dare, sed ijs continget, quibus paratum est à Patre meo.

ARGVMENTVM.

Pro natis rogitat Zebedæi sedula mater,
Sed nimis audacem iusta repulsa manet.

Quid hoc Euangelium docet?

Tria maximè: Primum ruditatem & obesas adeò nares filiorum Zebedæi, Ioannis & Iacobi.

Secundò, exemplum humanæ temeritatis & præsumptionis.

Tertiò

Tertiò, ſuauiſſimum amorem & pietatem Chriſti, qui ſuorum diſcipulorum infirmitatem tam æquo fert animo.

Vnde perſpicitur diſcipulorum ruditas?

Sæpius audierant Chriſtum, de ſuo regno orationem habentem, et tamen nunquam perceperant, quòd regnum eius ſpirituale eſſet. Semper exiſtimantes Chriſtum hìc ad tempus regia maieſtate uſurum, adeoq; regnum Iſraël reſtituturum in eum ſtatum, quemadmodum Dauid & Salomon habuerant. Quia uerò Chriſto neceſſitudine ſanguinis iuncti erant, ſperabant ſe in eius regno uel primos & glorioſos maximè futuros. Nec audebant tamen ipſi ſtultas eiuſmodi cogitationes Chriſto indicare, ſuam matrem igitur ad eum mittunt, ſi fortè illa aliquid impetrare poſſit. Cogitarunt enim: Si bene ſucceſſerit, nobis ſucceſſit, ſi malè ceciderit, mulieris eſt factum, nos extra noxam erimus. Atq; hic uidemus & audimus, & matrem & filios admodum carnali affectu imbutos fuiſſe, & ueterem Adamum adhuc profundiſſimè in illis ſepultum, ſe prodidiſſe. Aequum quidem fuiſſet, matrem ſuos filios à tam ſtulto propoſito abducere, & de regno Chriſti erudire: ſed ipſa non minus rudis & inepta fuit, quàm nati. Sed hoc agit, cupit efflictim magnos, diuites, nobiles, potentes habere regni proceres, Satrapas & principes, quò ſuo animo

superbo satisfiat, & triumphet, eos gloriosos & in honore uideat, qui affectus matribus est usitatissimus, ut suis liberis ingentes copias, diuitias, magnam potentiam & gloriam, ocia, securitatem, & uoluptatem optent ac expetant.

Quid petit Mater? Quomodo hanc agit causam?

Accesßit ad Christum Dominum, & procubuit ante eum, aliquid ab eo petens, dicebat: Dic ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & alter ad sinistram in regno tuo. Marcus dicit capite 10. quòd filij matrem ponè secuti sint, & apertè ad Dominum dixerint: Præceptor, uolumus ut quicquid petierimus facias nobis. Ille uerò dixit eis: Quid me uultis facere uobis? Illi uerò dixerũt ei: Da nobis ut unus tibi à dextris, & alter tibi à sinistris sedeamus. Existimant enim in regno Christi fore, sicut in alijs huius mundi regnis, & uolũt quidẽ aliqua pars esse regni Christi in terris. Sed non hic status est regni Christi, ut regia maiestate, & mundi potentia, multis dominationibus, claris triumphis conspicuum sit. Sed sicut spirituale est regnũ, ita quoq; spirituale habet sceptrũ, spiritualem gladiũ et arma, nempe Euangelion, fidem, orationem & Sacramenta, quib. Christiani aduersus oẽs suos hostes, Satanam, mortem, peccatum, orcũ, mundum, carnem & sanguinem, pugnant & uincunt. Quia uerò Euangeliũ non ocium, quietem & uoluptatem

uoluptatem carnis, sed perpetuã crucem, afflictionem, anxietatem & persecutionem adfert, Sicut S. Paulus dicit, ad Rom. 1. Nemo in animum inducat se in regno Christi uitam hic beatiorem ducturum, solidam uoluptatem & gaudia habiturum. Quin sic habet, quòd per multas afflictiones oportet nos intrare in regnum Dei, Acto. 14. Hic tolerandæ sunt afflictiones & mala. Christus enim ipse inquit, Lucæ ultimo: Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die. Sed hæc neq; mater, neq; filij intelligebant.

Quid respondit Christus ad hanc petitionem?

Respondit non quidem matri, sed filijs, dicens: Nescitis quid petatis. Potestis bibere poculum, quod ego bibiturus sum? & baptismate quo ego baptizor, baptizari?

Quid Christus hic per calicem & Baptismum uult intelligi?

Aliud nihil, quàm crucem, afflictionem & persecutionem. Sicut & Dauid inquit Psal. 116. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Et Christus quoq; de hoc baptismate loquitur, Lucæ 12. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coartor, donec perficiatur? Hunc bibere calicem, & hoc baptismate baptizari non cuiusuis est, singularis artis opus, quæ solius spiritus sancti in nobis uirtute formatur.

Quæ

Quæ est igitur sententia Christi in hoc responso?

Hæc est eius sententia: Charißimi discipuli, uultis extolli, & nunquã uos humiliastis, uultis esse domini & Magistri, & nondum serui & ministri facti. An nescitis quòd tendit ad ardua uirtus?

Virtutem posuitq; Deus sudore parandam.

Haud facilem esse uiã uoluit pater ipse colendi,

Redit & labor actus in orbem.

Nemo coronabitur nisi fortiter pugnauerit: quid tandem uobiscum agam, qui adeò pingui estis ingenio? Si de cœlestibus loquor, intelligitis de rebus terrenis, atque adeò tardi estis ingenio. Diurnum quidem denarium exigitis, & tamen in uinea Domini non pro eo laborastis. Vultis quidem metere, & non seminastis. Vultis sedere unus ad dexteram, & alter ad sinistram in regno meo, cùm utrosq; elegerim, ut sedeatis ad dexteram meam. Age age, si potestis bibere poculum quod ego bibiturus sum, &c. tum ratum erit, & uoti compotes fietis.

Quid filij Zebedæi Christo respondent?

Dicunt ei, possumus: Scilicet, si dijs placeat. Hic auditis humanam confidentiam & arrogantiam, in his discipulis. Nam præterquàm quòd rem indignam & iniquam postularunt, audent quoq; dicere se posse calicem bibere, quem Christus bibiturus erat,

erat, &c. Quid uidetur de eiusmodi iactantia? Ita Petrus quoq; se ostentabat ante paßionem Christi, se unà cum Christo mortem subiturum, sed exitus probabat fuisse humanum propositum & fœdißimam arrogantiam.

Quid Christus ad hæc uerba dixit?

Quandoquidem hæc uerba filiorum Zebedæi ex mera inscitia, & rerum imperitia proficiscebantur, in bonam ea partem Christus accepit, & respondet illis admodum comiter: Calicem quidem meum, inquit, bibetis, & baptismate, quo ego baptizor, baptizabimini. Sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare, sed ijs continget, quibus est paratum à Patre meo. quasi diceret: Sanè quidem propter nomen meum afflictiones & anxietates perpessuri, & tandem per mortem in regnum meum ingressuri, ibiq; non ad tempus & in rerum uicißitudine, sed in æternum dominaturi. Sed ante illud tempus horrendo casu affligendi, omnesq; in eo tempore fugam à me facturi, ut me solum relinquatis. Sed ego Patrem pro uobis oraui, ne fides uestra prorsus deficiat & extinguatur. Quare non de præmio soliciti sitis, tantùm incumbite labori, & patri curam relinquite. In domo Patris mei sunt mansiones multæ. Quisq; feret præmium secundum laborem suum, sed mercedem Pater meus iuxta suum arbitrium dispensaturus, iuxta illud: Qui seminant in lachrymis, in exultatione

tione metent, ut 126. Psalmus docet, &c. Et Paulus: At si unà cum Christo patiemur, & conregnabimus illi.

Quid alij Apostoli ad hoc colloquium dicunt?

Alij decem Apostoli commouentur, & indignati sunt de hisce duobus fratribus, quòd uolebant esse præcipui in regno Christi, unus ad dexteram, alter ad sinistram sedentes. Vt sanè quis haud ab re admiretur dilectos adeò Apostolos adhuc tam carnalia sapere, qui tamen quotidie cum Christo conuersabantur. Verùm sic fuit in fatis, Deo decretum fuit uniuersum mundum per illos conuertere, quare finit ut prius fortiter impingerent, cespitarent & caderent, ut deinceps faciliores se & æquiores miseris peccatoribus præberent.

Quid Christus facit ad hanc indignationem Apostolorum?

Iesus uocauit eos ad se, & ait: Scitis quòd principes gentium dominentur illis, & qui magni sunt, potestatem exerceant in eas. Nō ita erit inter uos. Sed quicunq; uoluerit inter uos magnus fieri, sit uester minister. Et qui uoluerit inter uos primus esse, sit uester seruus. Sicut filius hominis non uenit, ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, utq; daret animam suam redemptionem pro multis.

Christo uidente ac animaduertente & petitionem duorum discipulorum, & indignationem aliorum decem, ex pari ignorantia & hebetudine profectam, uocauit eos ad se, & hortatur ad humilitatem & subiectionem, seq; ipsum proponit exemplum. Ac si diceret: Quando de regno Christi orationem haberi auditis, non existimetis eum esse eius statum aut formam, quæ est mundani regni. Pater meus mundo duplici prospexit ministerio quorum alterum est mundanum, quod magistratui cōmendatum uoluit, ut Imperatori, Regibus, Principibus, Comitibus, Iudicibus & consiliarijs. Et quia aliorum ministri sunt, & super eos excubias & curam agunt oportet, constituit ut obseruentur, beneficii uocentur, uectigal & tributum illis pendatur, in honore, et dignitate habeantur. Hi corporali gladio, & ui dominentur oportet, bonos ut tueantur, & malos puniant.

Aliud ministerium est spirituale, quod Episcopis, Præsulibus, Parochis, & concionatoribus demandauit, nempe, ut prædicent Euangelium, & sacrosancta administrent Sacramenta. Et quia hi quoq; aliorum ministri sunt, & super Ecclesiam Christi excubias agunt, & curas impendunt, Deus ordinauit, ut illorum rursum habeatur ratio, & uitæ necessaria suppeditentur illis. Hi gladio spirituali, uerbo & euangelico Interdicto dominentur, etiam cùm opus fuerit temerarios peccato-

res

res in nomine Christi Satanæ tradant, ad interitum carnis, quò spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Atq; uestrum est, dulcißimi mei discipuli (inquit Christus) non more huius mundi dominari, & corporali gladio, sed Dei uerbo regere. Neque sanè de primo loco, aut primatu certetis, sed quicunq; sibi uidetur primus, aliorum sit seruus, sicut ego omnium uestrum seruus & minister factus sum. Et si maximè mea uerba & conciones parum animos mouent, aut tangunt, uel personam meam inspicite, quomodo uiuam, & me geram. Ac scitis quidem, me esse Dei filium, Dominum cœli & terræ, attamen uestri causa ita me humiliaui, & factus sum omnium hominum seruus. Vel hoc exemplum in animum aduertite, considerate, & imitamini, mutuis officijs & beneficijs certate, alter alterum iuuate, re & consilio, ut Satan & uniuersus orbis uideat uos esse meos discipulos. Et si propter me patiamini, ne sitis soliciti de præmio, equidem iam locum & hospitium paraui. Vbi ego sum, ibi & uos eritis.

Quæ est igitur summa & compendiaria huius Euangelij ratio?

Hæc est summa & argumentum huius Euangelij. Si Christi uolumus cohæredes esse, nostrum erit & hæreditatem (quantum in nobis est) saluam conseruare. Si uolumus conregnare, & compatiamur necesse est.

Præmia

Præmia si capiunt nos hæc tam magna, necesse
Et labor hic durus non fugiendus erit.

In crucem & passionem baptizati sumus.

Crux afflictioq; est color aptus ad aulam
Sanguineam, miles Christi amat ergo crucem.

Quem pudet hunc colorem aulicum induere, Christum quoq; Dominum & cœli regem eadem opera missum faciat & repudiet. Quemadmodum hi discipuli cogebantur calicem Domini bibere, ita nos nostrum calicem quoq; bibamus oportet, quisque sicut Deus illi distribuit. Sic enim ait Psalmo septuagesimo quinto:

Pocula summus habet dulci spumantia uino,
Mixta ferunt placidis tristia multa iocis.
Credula turba bibit purum à cratere falernũ,
Haurit at extremas impia turba feces.

Quid sunt feces?

Feces sunt horrendæ pœnæ ac plagæ impiorum & damnatorum, quæ hîc in tempore incipiunt, & in futuro seculo æternum durant. Sicut 11. Psalm. ait: Pluet super impios, laqueos, ignem, & sulphur, & spiritus procellarum erit pars calicis eorum.

Quid est uinum?

Vinum est crux & passio piorum & electorum, quæ est momentanea & transitoria afflictio, & habet finem, sequiturq; sempiternum gaudium, salus & felicitas. Et in summa: Si uolumus in Chri

stianorum numero censeri, necesse est, ut nos Christianos perhibeamus, in hac uitæ consuetudine fraternam charitatem & amicitiam præstemus, ac societatem colamus, neminem contemnamus. Sed qui primus ac præcipuus est, aliorum sit minister: qui cum imperio est, & Magistratum gerit, is se submittat propter Christum, qui & corpus & animam pro nobis posuit, & preciosum sanguinem suum pro nobis effudit, ut nos liberaret à potestate Dæmonis, Tartari & æterna morte, nosq; iterum Patri reconciliaret, cœlum reseraret, & immortalem uitam impertiret, Amen.

IN DIE S. LAVRENTII, DE Diaconis & Procuratoribus pauperum, Concio.

Quid propriè de Diaconis & Ecclesiæ ministris dici potest?

Tria præcipuè: Primùm, quod eorum in primitiua Ecclesia fuerit officium.

Secundò, unde adeò inuidia & odium xenodochia inuaserint.

Quid est Diaconus?

Est minister Ecclesiæ, ab ea Ecclesia uocatus et electus ut præsit, ac prospiciat egenis Christianis, uiduis & orphanis, miseris pueris, & pauperibus ciuibus, cùm corporali, tum spirituali administratione,

tione. Talis Diaconus fuit sanctus Stephanus, Acto. 6. & alij sex. Itidem Laurentius, & alij complures.

Quod erat Diaconorum officium in primitiua Ecclesia?

Ecclesia sanè in principio tempore Apostolorum uerè erat xenodochium, cùm Christiani sua bona in communem thesaurū reponerent, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, ut communi etiam mensa fruerentur, id quod liber Apostolicorum actorum clarè ostendit, 4. & 5. cap. Ad hanc inopiam & nuditatem pauperum leuandam, & ministerium in sanctos suscipiendum, ut mensæ seruirent, à duodecim Apostolis septem spectatæ fidei uiri eligebantur, in quibus & Stephanus erat. Hic usus nō diu admodū in Ecclesia durauit. Nam persecutio Christianorum statim insecuta, ut dispergerentur in regiones Iudææ & Samariæ, præter Apostolos.

Talemne Ecclesiam nos quoq; constituemus?

Eiusmodi constituere Ecclesiam, non est necessarium, nec mandatum, sed hoc nostri erit muneris, ut pro pauperibus & egenis hominibus, uiduis & orphanis, miseris pueris, debilibus, ægrotis, & quibus res familiaris tenuis, & afflicta est, ærarium publicum habeamus, in quod communis collatio

& subminiſtratio ſanctorum recondatur, nempe ſic, ut quiſq; piorum Chriſtianorum diebus feſtis numum aut ſolidum in loculos, aut arculas adhibitas ſuppeditet ac ponat, aut in teſtamentum condat, & eroget Eleemoſynas ad communicationem pauperum.

Poteſtne id citra rei familiaris noſtræ iacturam fieri?

Poſſemus ſanè id opulenter abſq; ullo noſtro damno præſtare, imò etiam magno noſtro commodo, cum pace & gaudio conſcientiæ, ita ut in rebus & fortunis noſtris nihil detrimenti ſentiremus, aut perciperemus, ſed reuera diuinam benedictionem, ſecundam fortunam & proſperitatem experiremur in omnibus noſtris actionibus.

Profer teſtimonia ſcripturæ.

Sic inquit Deus, Deut. 15. Si fuerit in te pauper unus ex fratribus, non obfirmabis cor tuum, neque contrahes manum tuam à fratre tuo paupere: ſed aperiendo aperies illi manum tuam, & dando dabis ei, & non aget nequiter cor tuum cum dederis. Nam propter rem iſtam benedicet tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo, & in cunctis, ad quæ miſeris manum tuam. & Dauid Pſal. 41. Beatus qui proſpicit oppreſſo, in die quo malum ingruerit, eripiet eum Dominus, &c. Et Pſalm. 112. Beatus qui miſeretur, et dat mutuo, &c. Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in perpetuum.

Iſaia

Isaiæ 18. Frange esurienti panem tuum, & pauperes uagos introducito in domum, si quem uideris nudum, operies eum, & à propinquo tuo te ne abscondes. Tunc prorumpet quasi aurora lux tua, & sanitas tua uelociter crescet, & ibit ante te iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Et Prouer. 28. Qui tribuit pauperi, non erit in egestate, qui uerò abscondit oculos suos, multa illi egestas. Et 11. cap. Est qui liberaliter erogat, et superadditur ei, qui autem parcus est, in eo quod rectum est, certè ad penuriam ueniet. et Tobiæ 4. capite: De tuis opem fer inopi, & te Deus benignè respiciet. Vbicunq; poteris, egenis subueni, si multa tibi sunt, beneficentia abundabis, si pauca & tenuis res, eam corde fideli expendito: Colliges enim iustum præmium in necessitate. Eleemosynæ liberant ab omnibus peccatis, etiam à morte. Et Christus inquit Matth. 5. Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Et Luc. 14. Cùm facis conuiuium, uoca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non possunt rependere tibi, rependetur enim tibi in resurrectione iustorum. Et Lucæ 16. Facite uobis amicos ex Mammona iniusto, ut cùm defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula, &c.

Sumus ne debitores, & ad hæc obligati?

Sanctus Paulus inquit, 2. Corinth. 12. quòd parentes debeant recondere thesauros filijs. Ita quo

que diuites debent pauperibus auxilium & benefi cium præstare, aut bonam collationem, εὐλογίαν præparare, ut locupletum copia sit pauperum sola tium, & succurrat eorum inopiæ, ut D. Paulus ait, 2. ad Corinth. 8.

Eiusmodi collectio est ne iusta & pia?

Colligere & reponere thesauros non est per se malum, sed causa colligendi efficit, ut opus aut bonum aut malum sit.

Quomodo improbatur collectio?

Quando consilium impium fuerit.

Da exempla.

Filij Israël colligebant quotidie Manna, cùm au tem aliqui contra mandatum Dei residuum face rent aliquid ex eo, usq; mane, produxit uermes at que computruit. Sic diuiti, Luc. 12. suum quoq; con silium cecidit. Qui cùm plurima haberet reposita in annos multos, ea nocte animam efflabat. Sic quo que euenit Ananiæ, & suæ uxori Saphiræ, cùm de precio diuenditæ possessionis seponerent aliquam partem, & reliquam ad pedes Apostolorum alla tam posuerunt: ambo enim repentina morte extin cti sunt. Tali prouentu & incremento remficiunt fœneratores, mercatores, & auari, pecuniam fœ nore partam, & repositum frumentum, ad quæstu faciendum immoderatum in caritate reseruantes. Nam Deus pronunciat sententiam super ea, ut dis

sipata

ſipata auolent, & euaneſcant in auras, ut neſcias ubi maneant. Inde eſt quòd Salomon dicit in Prouerbijs, Prouerb. 11. cap. Qui ſubtrahit frumentum ad caritatem reſeruans, huic maledicet populus. Et benedictio ſuper caput alimoniam præbentis. Ac D. Bernhardus inquit, in domeſtica cura: Si multum frumentum tibi reconditum eſt, ne ſperes caritatem, aut difficultatem annonæ. Qui enim caritatem amat, eſt homicida pauperum.

Quando collectio probatur?

Quando animus pius ac recta uoluntas eſt.

Profer exempla.

Ioſeph in Aegypto magnam uim frumenti collegit, non ad auaritiam aut uſurarium quæſtum, ſed ut pauperculam & egenam plebeculam in futura caritate paſceret. Ita quoq; rex Dauid magnam copiam rerum ad ſtructuram Templi colligebat, quod ipſius filius Salomon ædificaturus erat. Similiter reponebant Salomon et Eſra frumentum & argentũ in gazophylacium, ut inde Sacerdotes, Leuitæ, & pauperes ſuſtentarentur. Ita quoq; Chriſtus ſaluator noſter ſuum theſaurum & loculum habebat repoſitum apud Iudam proditorem, non quidem pro ſe, ſed pro ſuis diſcipulis & pauperibus. Ad hunc modum magiſtratus ſuis ſubditis, parentes liberis, opulenti egenis, theſauros reponere, & penum ſtruere debent, non ut auaritiæ dent operam, ſed alendo corpori in neceſſa-

rium uictum, & ad mediocres sumptus decernendos, ac tolerandos.

Pro quibus hominibus xenodochia & nosocomia sunt constituta?

Pro pauperibus Christianis, qui sancti dicuntur, non ut impij nebulones, nequam, & circumforanei homines sine discrimine & delectu excipiantur, tegantur, ac foueantur, cibo & potu conforten tur. Sed si quis ex egenis, subditis & uicinis, siue uir, siue mulier, seruus aut ancilla, ad paupertatem redigatur, & ab ætate aut infirmitate labori obeundo, & ad quærendum honestè uictum non suffecerit. Similiter uiduæ, pupilli, & misellipueri parentibus orbi, aut in exiliũ eiecti, ut ij propter Deum suscipiantur, & quoad uixerint rebus necessarijs prouideantur.

Quid Diaconi, Parochi, & præfecti pauperum in xenodochijs potissimùm curent?

Non modò hoc agant, quomodo pauperibus uentrem expleant, & corpus procurent, uerùm ut & anima eorum pascatur ac reficiatur, ut illis Dei uerbum & uenerandum Euangelium fideliter prædicetur, non modò in publico cœtu, è suggestu. Verùm quia maior eorum pars desidet aut decumbit in lectis, ut sine intermissione Catechismus, hoc est, Decem præcepta Dei, Articuli fidei, quotidiana oratio, & Sacramentorum utilitas illis tradatur.

tur. Inde adeò ab antiquo Altare illis ante oculos & lectum constructum fuit.

Quomodo se pauperes & miseri gerant?

Præfecti caueant, ne impiam, inhonestam, & prophanam adeò uitam agant, aut malis moribus præditi inuicem sicut feræ bestiæ: lupi, & ursi, uiperæ & Basilisci mordeant & petant, ex ira & contentione, odio & inuidia, mendacijs & fallacijs, maledictis, calumnijs, & ætatem turpissimè et flagitiosissimè exigant. Sed secundum mandatum Dei honestè, modestè, & piè uiuant, ne illud collegium magis Synagoga Iudæorum, Turcismus, aut impiorum hominum lustrum, quàm xenodochium, aut piorum Christianorum cœtus uideatur. Nullo enim modo ferendum est in Christianorum conuentibus, in xenodochijs aut nosocomijs, (ubi ex beneficentia & eleemosynis piorum uiuitur) ut irreligiosa, inhonesta & immodesta uita agatur, odium & inuidia, æmulatio & contentio, ira & simultas, maledicta & criminationes concedantur & tolerentur.

Quomodo autem malitiosi & iniqui sunt tractandi?

Si qui feroces & maleuoli ex Diabolico instinctu Dei uerbum & ueritatem criminabuntur, & blasphemabunt, Euangelium Christi contemnent, iucundissimos Psalmos & Hymnos ludibrio habe-

bunt, & ex insita malitia, diabolicoq; furore mendacij satori diabolo, eius Apostolis & assectis placere studebunt, hi sunt semouendi & separandi à bonis, sicut pastor hœdos ab ouibus seiungit.

Quid autem si obijciant, se hos certos reditus seu demensum emisse, quo uti uelint pro suo arbitrio, se ad hanc uel illam religionem nolle cogi?

Ii sunt interrogandi, an Iudæi, aut Turcæ, Ethnici, aut Christiani uelint censeri. Si nihil Euangelicæ pietatis & ueræ religionis præstant, nec mores correcturi, uel in malam rem agantur ad suum patrem Diabolum, & reddatur illis accepta pecunia. Talium enim hominum res, & pecuniæ sunt maledictæ, & nullum fructum faciunt, imò alias etiam subinde res absumunt ante oculos, uel cum pulvisculo absorbent. Quare dicit Dominus per Prophetam: Tolle è medio malum, maleficum, mendacem, & blasphematorem Dei, tum tibi benedicam, tuam uxorem, tuos liberos, tuam domum, agros, & quicquid habes.

At hoc modo, inquies, omnia xenodochia citò corruent & deficient?

Communis est sanè in omnibus xenodochijs iam querela, nihil non adeò imminui & decrescere, &

ubiq; desideratur amplius ob penuriam, cùm olim habuerint instructißimum penum, & planè (quod aiunt) copiæ cornu.

Quæ est causa?

Manifesta est ratio: Ante aliquot annos egenici ues, quibus tenuis erat res familiaris, & affecta ualetudo, in xenodochia recipiebamur, pij & probati noti Christiani, qui per omnem ætatem honestam duxerant uitam. Nunc recipiuntur propter numos quicquid undique aduolat, impij homines, scurræ, Pseudochristiani, qui adhuc indesinenter Dei uerbum malè accipiunt & calumniantur. Hi erant separandi, sicuti agricola paleas à tritico separat. Non enim conueniunt inter se ueritas & mendacium, Christus & Belial.

Quid, si qui animum mutaturi uelint resipiscere?

Qui uitam in melius correcturi, & ueram religionem præstituri, ij tolerari possent, dummodò Christianam pietatem & Euangelicos mores liceat in eis cernere. Tutißimum tamen foret et in hac causa, si præfecti & magistri xenodochiorum hîc certos ritus publicæ pœnitentiæ, pœnas & disciplinas indicerent, et seuerè obseruarent, sicut in cœnobijs factum est, ne audaculis, malignis, liuidis & inuidis hominibus, & Deum blasphemantib. omnis libido, & licentia concederetur, aut permitteretur, sed biduũ aut triduum pane et aqua pascendi,

aut

aut alia quauis mulcta irroganda. Alioqui accidit iuxta prouerbium: Nusquam lis grauior, nusquam discordia maior, aut uipereum odium, aut acrior inuidia, quàm inter monachos, moniales, et mendicos.

Vnde oritur adeò frequens hoc odium in xenodochijs?

Illud odium cœpit in primitiua Ecclesia tempore Apostolorum, ubi inter Christianos murmur ortum super administratione & distributione Eleemosynarum, Acto.6. Eiusmodi murmur, contemtio, odium, & inuidia manet hodie quoq; in xenodochijs & nosocomijs, quemadmodum inhærens & innata plaga, iam contra Præfectos, mox aduersus prædicatores suos, iam rursus mutuis flagrant odijs.

Fortasse habent causas sui murmuris.

Vt maximè causas habeant, iniquum tamen: licet non propter res transitorias & friuolas, & propter uentrem adeò murmurare, & debacchari, alios quoq; homines ad indignationem commouere, & occasionem præbere multis peccatis, offendere deniq; plurimos homines. Si quid desiderarent, occultè id significare, suamq; causam humiliter et sobriè exponere debebant.

At præfecti detrahunt illis demensum, & malè pascunt eos.

Id

Id prorsum illiberale est factum. Nam si existimant se hoc pacto, uidelicet priuatione pauperum rem facturos aut aucturos, penumq; structuros, profectò toto errant cœlo, Deus eorum consilia subuertet, ut omnia tergiuersentur, & adimpleatur id, quod prouerbio iactatum est:

Quicquid ab ore cadit numum parcente tenacis,
Prodigus id cattus deuorat atq; canis.

Si enim illud dictum uerum est: Qui dat pauperi, fœneratur Domino, necesse est & illud uerum esse: Qui adimit pauperi, furatur Domino. Qui ergo Deo aliquid detrahit, qui quæso diuinam benedictionem consequetur? haud dubiè pro benedictione maledictionem, pro rebus caducis ac momentaneis diuitijs, æternam egestatem conciliaturus. Quẽadmodum ille diues epulo, Luc. 16. Ac multos sanè liberos Diues ille post se reliquit, qui non modò magnos sumptus faciunt quotidie, splendidè epulantur, & uestiuntur de suis fortunis, uerametiam de eleemosynis pauperum aluntur, imò magnificas & amplißimas ædes & atria extruunt, locupletes possesßiones & hæreditates coẽmunt, ad magnam potentiam & dignitates perueniunt, & tamen parum se placidos dant pauperibus, imò nemini minfensiores & iniquiores sunt adeò, atq; egenis & miseris hominibus. In eos atrox in nouißimo die promulgabitur sententia, cùm Deus dicet: Quicquid fecistis uni ex hisce minimis meis fratribus, id mihi fecistis.

Quod

Quod est huius concionis compendium?

Qui in hoc genere officij non bona fide pauperibus sanctis ministrat & prospicit, adeoq; fidelis diaconus, rector xenodochij & Procurator deprehenditur, de eo pronunciaturus Christus: Ignauum & nullius frugi seruum eijcite forâs in tenebras exteriores, & date ipsi partem suam cum hypocritis, ibi erit fletus & stridor dentiũ. Qui uerò in hoc officio egenis summa fide & diligentia praeest, atq; adeò probum Diaconum & Tutorem se perhibet, pauperibus suum dimensum fideliter dispensans cibum, super illis uigilans, accuratè efficiens, ut illi Deum quotidie celebrent honore, & laudent, is suam sententiam habet cum Sancto Stephano, & Laurentio, & Christus Dominus noster illi in nouißimo die dicet: Euge serue bone & fidelis, in paucis fuisti fidelis, ego te super multa bona constituam dominum, intra in gaudium Domini tui, in aeternam uitam, Amen.

IN DIE ASSVMPTIONIS Mariae, Euangelium, Luc. X. cap.

FActum est autem dum irent, ut ipse intraret in quoddam oppidulum. Ac mulier quaedam Martha nomine, excepit illum in domum suam, et huic erat so-

ror nomine Maria, quæ etiam assidens ad pedes Iesu, audiebat sermonem illius: Martha autem distrahebatur circa frequens ministerium, quę assistens ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea relinquit me, ut sola ministrē? dic ergo illi, ut me adiuuet. Et respondens dixit illi Iesus: Martha, Martha, solicita es, & tumultuaris circa multa. Atqui unum est necessarium, Maria bonam partem delegit, quæ non auferetur ab ea.

ARGVMENTVM.

Sollicita est multo dum sedula Martha labori,
Incumbit uerbo tota Maria Dei.

Quid hoc tractat Euangelium?

Tria potissimùm: Primùm, Christus hospitio suscipitur in Bethania à Martha & Maria. Secundò, Martha & Maria ministrant Christo. Tertiò significat Christus, qui cultus ipsi maximè placeat.

Atq; hi profectò felices sunt homines, qui Christum hospitio exceperunt.

Mundus quidem hasce duas mulierculas, Martham & Mariam beatas iudicat, quòd eo maximè tempore uixerint, quo Christus in terris uersabatur, & hospitio ipsum exceperint, & bene de ipso meritæ sint. Hic exclamant homines: O quàm

uellem earum exemplum imitari, si Christus coràm adesset.

Rectene igitur dictum est?

Minimè: Si tibi cordi & curæ est Christum hospitio excipere, eum reuerenter & benignè tractare, æquè id poteris præstare ac Martha. Etsi enim Christus ascendit in cœlos, & sedet ad dexteram Dei patris, non tamen ita se nobis subduxit, ut non etiam ei operam demus, & ministremus, præclareq; de eo mereamur. Ait enim Matth. ultimo: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi.

Quomodo Christus hospitio excipitur?

1 Tribus modis: Primùm, si ipsum deperamus, & ex animo complectamur, diuinum eius eloquium fideli corde suscipientes. Iuxta illud Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud ipsum faciemus. Deinde excipitur etiam

2 hospitio per Sacramentum cœnæ Dominicæ, cùm in fide sumitur secundum uerum ritum & institutionem Christi. Iuxta illud Christi, Ioan. 6. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Tertiò, excipitur quoq; hospi

3 tio in abiectis & miseris hominibus, cùm eos propter Deum suscipimus, cibamus, potamus, & uestimus &c. Vt inquit Dominus ipse Matth. 25. Hospes

spes fui, famelicus, sitibundus, nudus, infirmus: & non me collegistis, non cibastis, neq; potum dedistis, operuistis, uisitastis, &c. Quid autem uelit hisce uerbis dictum, statim subijcit: Amen dico uobis, quicquid fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Qualis autem Christus est hospes?

Est hospes gratissimus, qui ubi uenit, adfert secum thesaurum omnium cœlestium bonorum, ac uenit comitatus & cumulatus omni benedictione, salute & felicitate, suumq; munificentissimè dat symbolum. Cùm in ædibus Matthæi discumberet, ipsum ex publicano fecit Apostolum, Matth. 9. In domo Pharisæi, Luc. 7. remittebat peccatrici omnia sua peccata. In domo principis Pharisæorum curabat hydropicũ, & docebat cùm hospitem tum conuiuas, quomodo se in cõuiuijs gereret, Lu. 14. In domo Zachæi, ex ipso filiũ Abrahæ faciebat, Luc. 19. Nónne hoc preciosum est symbolum & plenissima satisfactio? Quî poterit aliquis maius compendium operæq; precium facere, cariusq; uendere expensas, quàm si propitium ac misericordem sibi eo pacto paret Deum? Inde adeò est, quòd scriptura tam sedulò adhortatur ad opera charitatis & misericordiæ, maximè ad Hebræos ultimo, ne hospitalitatis simus immemores. Per eam enim quidam inscientes exceperunt angelos hospitio, sicut de Abrahamo, Lotho & Tobia legimus, Gen. 18. & 19.

Quid ex duabus hiſce mulieribus Maria & Martha factum eſt?

Sunt qui ex his duabus mulieribus fecerunt duo genera uitæ, alterum contemplatiuum, alterum actiuum. Atq; hoc quidem non dictum malè, ſed malè interpretatum eſt. Vitam enim contemplatiuam interpretati ſunt pro monaſtica, actiuam autem pro artificio manuario, et negotijs ciuilibus. Si uerba Chriſti: Vnum eſt neceſſarium, Maria optimam partem elegit &c. tantum de monaſtica interpretanda forent, tum neceſſariò omnes ciuiles actiones, artificia manuaria, ciues & coloni damnarentur, quid inde futurum? Quare falſam iſtam interpretationem miſſam faciamus, & ueram ſententiam perſequemur, quam Chriſtus ipſe perſpicuè oſtendit. Nempe, quòd duæ hæ mulieres ſint duo Chriſtianorum genera, diſſimilis admodum opinionis ad ſeruiendum Chriſto. Quidam enim Chriſtiani operibus ſtudent, & per ea religioſos, iuſtos, & ſaluos ſe fore ſperāt Alij ſola fide ab ore et uerbo Dei pendent, atq; hac fiducia ſe Deo acceptos & gratos fore ſperant, id quod ſit quoq;. Sic Hiſtoria huius Euangelij eſt typus & figura Eccleſiæ. Quēadmodum enim hic in Martha & Maria factum eſt, ita hodie quoq; fit inter Chriſtianos. In Eccleſia duplices ſunt Chriſtiani: Chriſtianos uoco, non Turcas, Iudæos, Epicuros. Illi enim non digni ſunt ut

ut uel Marthæ, uel Mariæ conferantur: non audiunt uerbum Dei cum Maria, neq; exhibent misericordiam proximo suo cum Martha, sed calumniantur & persequuntur uerbum Dei, apertè & occultè, & Lazaro mendico, Parochis, & Christianis, uel panis bolum è faucibus eripiunt, illisq; tradunt, qui falsa & impia doctrina homines seducunt, atq; turpem adeò uitam agunt. De his lata iam est sententia.

Quid Martha facit?

Degener animus matris illius Euæ illi adhuc adhæret, perpetuò metuit ne plus satis sit officiosa, & tandem impatientia uicta iritata, Christum accedit, & sororem suam Mariam ignauiæ accusat, quòd ociosa ad pedes eius sedeat, ac inquit: Domine non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me, ut sola ministrem? dic ergo illi, ut me adiuuet. Quasi diceret: Quando quicquid facio tibi fit bono, existimassem te mei rationem habiturum, & sororem meam propter ocium seuerè reprehensurum, iubendo, ut mihi adsit in ministrando. At nunc ipse quoq; sedes quietus, nihil de me solicitus, nihil illi dicens, & me solam laboribus districtam sinis, dic quæso illi, me adiuuet.

Quid respondit Christus?

Dicit illi Iesus: Martha Martha, solicita es, & tumultuaris circa multa, atqui unum est necessarium. Maria bonam partem delegit, quæ non auferetur ab ea.

Quid ergo? Num Christus reijcit officium, & negocia Marthæ, tanquam inutilia, & sibi ingrata?

Non sanè: Sed Christus se interponit in medium tanquam Iudex, & reprehendit falsam eius opinionem, nempe quòd existimauit, sola sua officia, & rei familiaris curam, esse uerum & necessarium cultum, quo Christus honoretur: & Mariæ opus (quòd uerbum Dei audit) non esse nisi socordiam & ignauiam, summa seueritate reprehendendam. Eam prauam opinionem reprehendit Christus. Ac si diceret: Martha tu sedula es, & solicita tumultuaris circa plurima, multa bona facis opera, esurientes pascens, sitientes potans, &c. multa difficultate laborans, & molestia, sed soror tua Maria unum tantum agit, meum audiens uerbum, quo uno officio longè magis me colit, quàm tu officijs tuis plurimis. Non damno ipsa negotia tua, ac si essent inutilia, sed falsam opinionem tuam abominor. Officia quidem tua honesta & utilia sunt, sed Mariæ officium solum est & maximè necessarium. Tua opera sunt transitoria, Mariæ opus, nempe audire uerbum Dei, est immortale, & cò tandem auditorem deducit, ubi uerbum essentialiter sedet ad dexteram Patris in æterna uita.

Quid est autem officium Mariæ?

Aßidens ad pedes Iesu, audiebat sermonem illi-

us,

us, uerbum sacrosancti Euangelij, quod est de Christo concio nobis per Christum parta, annuncians nobis remißionem peccatorum, & æternam uitã. Hoc uerbũ per auditum accipimus, ex auditu aũt fides oritur: ubi ea est, ibi quoq; remißio peccatorum, placatus pater, adoptio in filios Dei, uictoria Mortis, Satanæ & Inferni, ac ius hæreditatis omnium cœlestium bonorum, deniq; etiam æterna uita.

Adeóne efficax est fides?

Fides est mater omnium uirtutum, gratiæ, & donorum Dei. Fides quamplurimas habet filias, et ancillas, quæ ipsam præcedunt & sequuntur. Præcedit enim fidem, agnitio peccatorum, qui est primus ad consequendam felicitatem gradus: fidem sequuntur, inuocatio Dei, ueneratio nominis Dei, dilectio proximi, adeoq; omnia opera charitatis et misericordiæ. Prætereafides sanctificat omnia opera et exercitia, cùm Magistratus, tũ subditorũ, artificium, & rei domesticæ procurationem. Vbi fides est, ibi omnia Deo grata sunt. Vbi uerò deest fides, ibi coram Deo omnia sunt damnata: Pax, sanitas, potentia, opes, ædes, prædia, agri, prata, uxor, liberi, familia, fortunæ, pecora, quæ quidem omnia bonæ Dei sunt creaturæ. Attamen si ea non posideamus in fide in Iesum Christum, nihil ad pietatem nobis conferunt, sed multò magis nocent. Nihil nos potest à peccato, Satana, Morte, & Inferis

liberare, nisi sola fides in Iesum Christum. Fides autem datur ex auditu uerbi Dei. Auditus igitur Euangelij unum illud ita necessarium est, ut præ omnibus alijs operibus capessere debeamus.

Quod illud unicum est unum, quod est necessarium?

David in sua oratione, in Psal. 86. sic precatur: Doce me, Domine, uiam tuam, & conuersabor in ueritate tua. Vni illi cor meum conserua, ut nomen tuum reuerear. Vnicum illud est Dei uerbum, quod manet & efficit unum. Alia dogmata diffluunt, & tantum factiones pariunt.

Hoc unum adeò est necessarium, ut sine eo nemo saluus fiat. Ideò hic inquit Christus: Vnum est necessarium. Ac si dicturus: Officia simpliciter præstita, non per se placent, sed Dei uerbum audire, & fide excipere ac custodire, uitamq; ex eo instituere & regere, hoc est quod placet Deo, & commodat. Hinc enim cor lætum, & tranquillam erga Deum consequêre conscientiam. Deinde proximum officijs tuis tibi redde deuinctum, quibus potes. Quicquid in fide feceris, id erit Deo multò gratissimum, & quicquid charitate proximo feceris, ipsi Christo factum erit. In summa, nudis & solis operibus nemo iudicium Dei effugiet. Qui uerò in Christum credit, & eam fidem testatam externis facit operibus, is in iudicium Dei non

uenietं

ueniet, sed cum Christo & Maria sempiterna gauisurus gaudia.

Adeóne præstans & præclarum est opus, Dei uerbum audire?

Ad audiendum uerbum Dei Sabbatum Iudæis præceptum fuit, nos, qui Christum confitemur, Dominicam habemus diem, qua uerbum Dei audire debemus. Quicquid enim in mundo Deus creauit, Elementa, Metalla, frumentum, uinum, res & fortunæ bona, & Magistratus, uniuersa eò maximè spectant, ut per ea festa pace fruamur, uictum honestè quæramus, & mutuis officijs cohabitemus. In hunc solum finem & scopum, ut ministerium uerbi Dei conseruetur, nos uerbū audiamus, fide excipiamus & conseruemus, et pijs morib. exprimamus. Propter uerbū Deus omnes Prophetas & Apostolos elegit & misit, et propter uerbum hodie quoq; curat omnes Episcopos, Pastores, Concionatores, & ministros Ecclesiæ eligi & conseruari. Si quando igitur uerbum, quod uerum est sacrum, quo omnia sanctificantur, & preciosus ille thesaurus Euangelion est cedant illi omnia opera, quantumuis præclara aut honesta sint aut dicātur, etiamsi membris Christi, pauperibus, fiant. Nam pauperes semper licebit officijs prosequamur, sed Dei uerbū nō semper adest. Ideò dicebat Christus: Pauperes semper habetis uobiscum, me uerò nō semper habetis.

Quæ igitur nunc est summa huius Euangelij?

Christus hic discernit res corporales à spiritualibus, temporarias ab æternis, fidem ab operibus, & tandem concludit, quòd opera non coram Deo iustificant, sed sedere ad pedes Christi, & audire eius uerbum, id uerè iustificat & saluos facit. Sicut Christus inquit, Luc. 11. cap. Beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud. Verbum Dei est lucerna humanæ uitæ: Dei uerbum purificat corda, & affert Spiritum sanctum. Verbum Dei delet omnia peccata, & conuertit peccatorem ad resipiscentiam, Dei uerbum conseruat stantes, consolatur labantes, eosq; rursus erigit. Verbũ Dei hominem Deo reconciliat. Et ut in pauca conferam, uerbum Dei auribus haustum, & fideli corde exceptum conseruatumq;, efficit filios Dei: uerbo Domini cuncta creata sunt, & eodem omnia conseruantur. Per uerbum Dei necesse est nos iustos & saluos fieri. Quòd si igitur Dei uerbum nostrum opus, placitum, consilium, & conatum reprehendit, unà cum Martha silebimus, & reprehensionem grato accipiemus animo, cogitantes: Age Christus Dei filius, optimè nouit quid rectum, utile, & bonum sit, rationem meam & sapientiam missam faciam, meq; diuino uerbo captiuum tradam, ut uel eo admonitus resipiscam & obtemperem. Ea sanè commoda doctrina esset pro Essenorum genere, & Operarijs,

Operarijs, tum locũ darent, copiam facerent Deo operandi in ipsis per suam gratiam, & illic per suam gloriam in sempiterna uita, Amen.

IN DIE S. BARTHOLOMAEI Apostoli, Euangelium, Lucæ XXII.

FActa est autem & contentio inter eos, quis eorum uideretur esse maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici uocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est in uobis, fiat sicut iunior, & qui princeps est, sicut qui ministrat. Nam uter maior est, qui accumbit, an qui ministrat? Nónne qui accumbit? At ego in medio uestrum sum, ut qui ministrat. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.

ARGVMENTVM.

Discipulis mundi prohibetur uana potestas,
pro qua seruitij ferre iubemur onus.

Quid hoc tractat Euangelium?

Tria precipuè. Primùm, contendunt inter se discipuli ex ignorantia de primatu. Secundò, fert Christus ipsorum infirmitatem patienter, & discernit suum regnum à regno mundi. Tertiò, pollicetur Christus discipulis suis, quòd in regno ipsius super mensam suam esuri & bibituri, sessurique sint super thronos, iudicantes duodecim tribus Israël.

Vnde hebetudinem & tarditatem Apostolorum intelligam?

Sæpe ex Christo audierant, suum regnum non in hoc seculo esse corporale, sed spirituale, neque consistere in externa dominatione, sed tantùm in ministerio: Attamen cùm in ultima cœna sui regni mentionem facit, illi regnum mundanum fore existimant, & persuadent sibi, se in eo magnos & potentes principes dominosque futuros.

Hic profectò carnalis & crassus est intellectus.

Admodum sanè. Sed nobis attendendum, si tam crassus et carnalis intellectus in Apostolis fuit, qui Christum ultra tres annos audiuerant, quam sibi egregiam uendicabunt sapientiam & intelligentiam ij, qui uix unam aut alteram concionem audiuerunt? Ac proculdubio non adeò res uulgaris est fides & Euangelium. Non tantùm enim audiendum nobis est, sed etiam precandum, ut Deus sanctum

ſuum ſpiritum nobis donet, qui ueram & rectam doceat intelligentiam, ut non modò audiamus, ſed & multo cum fructu perficiamus, ac ad finem uſq; in recta Euangelij ſententia perſeueremus.

An etiam Apoſtoli hîc peccant?

Sanè uerò duobus inſignibus delictis, nempe, Ambitione, & Contentione.

Vbi Ambitione?

Quòd alter alteri ſeſe præfert, & ſuæ uirtuti dignitatem adſcribit.

Vbi Contentione?

Quum diſputant, quis eorum maior eſſe uideretur in regno Chriſti. Quidam gloriabantur de carnis cognatione, qua Chriſto iuncti erant, qua prærogatiua ſperabant ſe priores laturos partes. Alij gloriabantur de officijs, quæ præſtiterant Chriſto præ alijs in miniſterio prædicationis Euãgelij, ideò ſperabãt ſe priores fore, & in ſumma, erat inter eos mera æmulatio et cõtẽtio de primatu.

Atq; hæc immatura fuit, & intempeſtiua contentio.

Verum quidem eſt. Illo enim tempore maximè de uerbis Chriſti ſoliciti fuiſſent, quibus ſignificârat manum prodentis ipſum ſecum in menſa eſſe. Et filium quidem hominis ſecundum quod definitum erat, uadere: tum incipiunt inter ſe contendere, quis eorum prior ampliorem principatum & dignitatem accipere deberet.

Nihil ne

Nihil ne igitur profuit, quod Christus dixit: Seruus non est maior Domino suo?

Ac audierant quidem & uiderant, quomodo Iudæi rapturi ipsum erant, ut regem facerent, quo cognito secessit iterum in montem, ipse solus, Ioan. 6. Nec *non dixerat ille, se missurum eos, quemadmodum oues in medium luporum,* Matth. 10. Ni*hilominus manent in sua sententia, & simplices externum* Ducatum *&* Principatum *somniant.* Sic *hodie quoq; fit, & si mille annis dissera mus, & de regno* Christi *prædicemus, manet tamen caro caro, nisi spiritus* Dei*, qui eam illuminet, accedat.* Hoc *est, quod* D. Paulus *dicit:* Primus *homo de terra terrenus est.* Quid *enim aliud loquimur, agimus, speramus, & intelligimus, sine* Dei *spiritu, nisi res terrenas?*

Atqui aliqui nostræ rationi, intellectui, & libero arbitrio magnam uim tribuunt.

Tribuant *sanè quicquid uelint.* Si *nostram facultatem & uim ad sacram scripturam conferimus, tum statim adest* S. Paulus*, qui inquit, ad* Roma. *cap.* 8. *Affectus carnis inimicitia est aduersus* Deum*, nam* Legi Dei *non subditur, siquidem ne potest quidem.* Qui *uerò in carne sunt,* Deo *placere non possunt.*

Qua

Qua de re hîc dilecti contendunt Apostoli?

De primatu in regno Christi corporali.

At regnum Christi corporale nullum est.

Verum est: Ideò & nullus primatus in eo.

Qua de re igitur litigant?

De re nihili futiliq́;, &, quod dici solet, de lana caprina.

Quid autem stultius quàm propter rem planè nullam lites exercere?

Ita sanè: nihil uanius aut stultius est. At tales ferè solent esse mutuæ omnium hominum contentiones.

Prome exempla.

Alius cum alio litigat, de possessione agrorum & terrarum, alius de fortunis & pecunijs, tertius de nominis sui gloria & potentia, quartus de alia id genus causa cum proximo contendit.

Quid autem, obsecro, sunt omnes huius seculi opes, agri, honores & dignitates, si conferantur ad hæreditatem filiorum Dei in cœlis, quàm sordes & putredo?

Absurda sanè hæc res est, uilesq́ curæ hominum.

Est sanè spectaculum ualde ridiculum, cùm in foro uidemus duos publicos mendicos inter se pugnis

gnis & criminibus de fragmine panis aut facco mendicitatis decertare: Multò magis ridiculum est coram Deo, quando homines de prouincijs & gentibus, agris, pratis, facultatibus & uanißimis rebus digladiantur. Quid enim omnes humanæ opes & copiæ aliud sunt ad Deum & suum uerbum collatæ, quàm uel frustum panis, uel saccus mendici, & tamen homines propter illum saccum corpus & animam, ad hæc summum bonum in cœlo amittunt, de quo ipse Christus conqueritur, Luc. 9. dicens: Quid proficit homo, si lucretur uniuersum mundum, se autem ipsum perdat, aut iacturam sui ipsius faciat? aut quid impendat homo, quo animam suam redimat?

Quid Christus ad hanc Apostolorum contentionem facit?

Sic dixit eis: Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici uocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est in uobis, fiat sicut minor, & qui Princeps est, sicut qui ministrat. Nam uter maior est, qui accumbit, an qui ministrat? Nónne qui accumbit? At ego in medio uestrûm sum, ut qui ministrat. Hîc Christus suã beneuolentiam & singularem declarat bonitatem, in hoc quòd discipulorum suorum ruditatem, imperitiam, adeóque stultitiam, tam æquo fert animo, & tam humaniter eos complectitur ac erudit.

Qua

Qua in re erudit eos?

Discernit suum regnum à regno mundi, & paucis uerbis inquit, quòd non sit ipsi animus ciuile regnum instituere: sed ideò uenisse ipsum, ut omnib. ministret hominibus, id quod in suis quoq; probauit discipulis, quos semper passus sit discumbere, seq; illis ministrũ præbuerit. Quo illis facto exemplum proponit, ut idem ipsi quoq; faciant.

Reijcit ne igitur Christus Ciuilem Magistratum?

Non sanè: Imò uult potius ciuilem administrationem comprobatam, & hisce uerbis confirmatam, sed non in Apostolis. Nam ad ciuilem administrationem alij homines sunt uocati.

Quales homines?

Mundi reges, & alij potentes: Illis enim gladius commendatus & traditus est, ut malos (quemadmodum sanctus Paulus ad Roma. 13. ait) puniant, et bonos defendant. Et quoniam gladium diuinitus traditum gestant, & non à seipsis habent, debemus diuinæ ordinationi obedire, & subditi esse propter conscientiam. Sicut Sanctus Petrus ait, 1. Petri 2. Subditi estote cuiuis humanæ creaturæ, propter Dominum, &c.

An non licet igitur Christiano gerere Magistratum?

Christus hoc loco non dicit, Christianis non licere cum imperio esse, Nam ciuilis Magistratus est

Dei ordinatio. Quare nemo melius aut rectius imperiũ administrabit, quàm Christianus. Deus bene ferre potest Christianum cum imperio esse, nec uetat Episcopum Ecclesiæ habere externam dominationem, si modò & prædicandi munus procuret, & satisfiat illi. Imò quid possent Episcopi, Antistites, & præsules Ecclesiæ Deo gratius facere, quàm ut summa diligentia curarent Euangelion prædicari, illudq; defenderent, & tuerentur à ui & tyrannide Verbi ministros, ne quemadmodum pecora, tractarentur, sed ueluti ministris Dei illis prospiceretur, honoreq; duplici dignarentur. Sunt enim profectò illi, qui suo ministerio nobis offerunt Dei uerbum, condonationem delictorum, & promißionem æternæ uitæ.

Quid promittit Christus suis discipulis?

Sic ait illis: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam, in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israël.

Quomodo Christus deuenit nunc ad tam præsentem & suauem consolationem? Quæ illi fuit occasio?

Obseruandi Apostoli potuissent cogitare: Itáne

miseratio-

miserationum mancipia fiamus, & omnium concul cemur pedibus? Vbi ergo sunt illa præclara, quæ regno Christi, & eius cultoribus per Prophetas promissa sunt? Ac nos existimabamus quidem uel aliquid saltem in regno Christi nos futuros. Hisce cogitationibus respondet Christus hisce uerbis. Quasi diceret: Bono estote animo mei discipuli. Quanquam mundus persecutus est uos, tamen semper in meis apud me mansistis tentationibus. Quare nunc abiturus, paratum uobis regnum, quemadmodum Pater meus mihi præparauit, non terreonum, sed cœleste: non corporale, sed spirituale: nõ mundi, sed cœli uos constituam Principes. Reges ac Principes huius seculi non frequenter uos inuitabunt ad suas mensas, sed multò magis persequentur, fame ac siti affligent. Sed ego efficiam, ut edatis & bibatis super meam in meo regno mensam. Reges ac Principes non concedent uobis, ut ius in foro dicatis, & sententias pronuncietis uestras: Sed ego faciam, ut sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israël.

Suntne igitur mensæ & sedes in cœlo?

Quemadmodum regnum Christi spirituale est, ita edere, bibere, & sedere, est quoq; spirituale. Ac nihil aliud est, quàm quòd Christum hîc præsentem habemus per præsentem consolationem in

gratia, & in uenturo seculo per æternum gaudium, & tripudium in maiestate & gloria.

Quid uocas sedere super thronos, & iudicare?

Nihil aliud quàm Euangelium Christi prædicare, & eos qui audiunt, ac corde fideli excipiunt, beatos pronunciare, eos uerò qui cōtemnunt ac calumniantur, ad damnationem iudicare, à qua sententia nemini licet appellare. Sunt quidem in terris iudicia, & iura, à quibus appellare licet: ut à sententia dormientis iudicis ad uigilantem, ab ebrio iudice ad sobrium, ab imprudenti ad prudentem: sed à sententia Apostolorum, quam per Euangelij prædicationem ferunt, nullus hominum appellare poterit. Ac in nouißimo die Christus non iuxta legem Moseos, neque secundum Persarum, Græcorum aut Romanorum iura iudicabit, sed iuxta Euangelium, quod Apostoli prædicarunt. Quoniam autem Apostoli, & omnes Christi fideles membra sunt Christi, etiam cum Christo mundum iudicaturi sunt. Et ea maiestas unumquenq; Christianorum facilè à peccatis absterreat. Inde quoque animum recipiant Christiani contra omnes aduersarios suos. Quid enim damni adeò dare nobis poterunt, quos paulò pòst nos unà iuncti Christo, ad æternum summus ignem & supplicium condemnaturi?

Quid.

Quid, editur & bibitur ne etiam in regno Dei, quemadmodum hîc in terris?

Quemadmodum non contrahuntur illic matrimonia, nec exercentur iudicia forensia: ita nec editur, nec bibitur, iuxta morem huius seculi.

Quid igitur uult sibi Christus hisce uerbis?

Explicat his uerbis immensum gaudium, & summam electorum filiorum Dei in æterna uita felicitatem. In hoc seculo omnia quæ nobis necessaria sunt, colligimus particulatim à creaturis: Si esurimus, quærimus panem: si sitimus, quærimus aquam, cereuisiam, uinum: Si algemus, quærimus uestes, calceos, hypocausta, ignem: Si dolemus è morbo corporali, quærimus Pharmacopolion, herbas, medicinam. Imò nulla creatura est in terris, quæ omnia nobis necessaria suppeditet ad usum, sed necesse habemus, à singulis creaturis, singula nobis necessaria, & utilia colligere & emendicare. In futuro autem seculo regni cœlorum, omnia, quæ nobis necessaria sunt, in solo Deo in æternum possidebimus.

An Christus solis hæc Apostolis promisit?

Non solùm Apostolis Christus solidum hoc gaudium & felicitatem promisit, uerumetiam omnibus qui Apostolicæ prædicationi fidem adhibent, &

Iesum Christum mundi Saluatorem agnoscunt. Sic enim ait Christus, Ioan. 17. Non pro eis tantùm rogo, sed pro ijs, qui credunt per sermonem eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis unum sint, ut mundus cognoscat, quòd tu me miseris. Quare ut tanta felicitate cum Apostolis fruamur, nihil prius nobis agendum est, quàm ut Euangelion, quod Apostoli prædicârunt, obedienti fide amplectamur, inq; germana charitate uocationem nostram sectemur, Euangelium Christi attentè audiamus, & uitam summo studio ex eo instituamus, tentationes, cruces & afflictiones à Deo nobis impositas, patienti animo toleremus, & in fiducia uerbi de uita defungamur, tum cum sancto Apostolo Bartholomæo, alijsq; electis à Christo suscipiemur in cœlestem patriam, in perennem uitam, Amen.

IN DIE S. MATTHAEI Apostoli, Euangelium, Matthæi IX. cap.

PRæteriens Iesus illinc, uidit hominem desidentem ad telonium, Matthæum nomine, dicitq; ei: Sequere me. Atq; is surgens secutus est eum. Et factũ est, ut Iesus accumberet in illius ædibus, & ecce multi publicani & peccatores

qui

qui uenerant, simul accubuerunt cum Iesu & discipulis illius. Cumq́ id uidissent Pharisæi, dixerunt discipulis eius: Cur cum publicanis & peccatoribus sumit cibum præceptor uester? At Iesus ubi audiuit, dixit illis: Non opus habent ij qui ualidi sunt medico, sed qui malè habent. Quin potius ite & discite quid sit illud: Misericordiam uolo, et non sacrificium. Non enim ueni ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

ARGVMENTVM.

Quòd peccatores recipit culpatur Iësus,
Illorum causa se sed adesse monet.

Quid hoc Euangelium discendum proponit?

Tria maximè: Primùm, fidem Matthæi, qui ad unicam uocationem è uestigio sequebatur Christũ. Secundò, pestilens & ferale odium Pharisæorum & Scribarum, qui omnia uerba & facta Christi malè interpretantur & calumniantur. Tertiò, tria pulcherrima Euangelij dogmata, quæ Christus hic in mensa tradit.

Quis hic Matthæus fuit?

Marcus & Lucas nomen Matthæi silentio prætereunt, Leui ipsum appellantes, Alphæi filium, sed ipse se nominat Matthæum publicanum, & in hoc

recte facit. Iustus enim sui ipsius est accusator. Dauid ipse suum adulterium fatebatur, & cædem commissam: Ideò & gratiam impetrat à Deo. Manasse itidem, & Publicanus, Luc. 18. Sui ipsius agnitio, magna pars est pœnitentiæ. Sicut Diuus Paulus inquit, 1. ad Cor. 11. Si nos ipsos dijudicaremus, haudquaquam à Domino iudicaremur. Ita se Matthæus quoq; publicanum appellat.

Quales publicani erant homines?

Publicani erant homines, qui Romanorum nomine uectigalia in prouincijs & urbibus certa pecuniæ summa redempta exigebant. Quia uerò ea summa magna erat, cogebantur audacter exigere & homines extorquere, si ipsi lucelli aliquantulum facere uellent, inde malè audiebant apud Iudæos, ut publicani, hoc est, publici exactores, & prædones uocarentur.

Cur Christus Matthæum à telonio uocat?

Non eò quòd publicani officium per se impium uitæ genus sit (publicanum enim & piscatorem esse per se non sunt damnabiles ordines aut officia) sed quia ipsi aliud officium, nempe Apostolatum demandaturus erat, ideò eum ex telonio uocat.

Quomodo uocabat Matthæum?

Lucas inquit: Iesus uidit hominem sedentem ad telonium, & ait ei: Sequere me. Hic uisus Christi penetrabat

penetrabat carnem & sanguinem, medullam & ossa, imò spiritum & animam. Deus Matthæum intuebatur diuinæ suæ misericordiæ oculis, quibus Abraham in Chaldæa, Lothũ in Sodoma, filios Israel in Aegypto, Zachæum in arbore, Petrum in domo Caiphæ, Latronem in cruce, Paulum in itinere Damascum tendentem intuebatur. Extrinsecus uocat eum per uerbum, intrinsecus per spiritum sanctum.

Quibus uerbis uocat eum?

Quemadmodum Petrum, Andream, Ioannem, & Iacobum uocabat à piscatura, Matth. 4. & ait: Sequimini me, ego uos piscatores hominum faciam. Sic & Matthæum uocat à telonio, dicens: Sequere me.

An dicto fuit obediens Matthæus?

Ita sanè: Atq; is surgens secutus est Iesum. Non res exigui momenti est, quòd Matthæus statim sequitur. Nam erat ualde diues, & multas possidebat opes, ad hæc fungebatur officio, unde illi annuatim ingens accessit lucrum. Deinde uidebat & audiebat quid de Christo sentiretur, nempe, q audiret hæreticus, seditiosus, seductor populi, Samaritanus, et quomodo insidiæ illi struerentur quotidie: attamen omnia relinquit, magnam uim pecuniæ, opum, officiũ plenum lucri, uectigalia etc. Cõtemnit preterea Iudæorum odium, & inuidiam populi,

et promptißima alacritate sequitur Christũ. Vox illa, sequere me, non modò aures eius personabat, sed intima cordis quoq; eius, & paratum ipsum efficiebat, ut omnia relinqueret, & Christum sequeretur. Nisi enim Spiritus sanctus eiusmodi uerba in corde eius agitasset, & uiuificasset, haud dubiè tam facilè opes & officium suum non reliquisset. Christus enim inquit Matth. 16. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnũ Dei ingredi. Sed uerbum illud, Sequere, affert Matthaeo spiritum in animum, qui tantam in corde eius parit fidem, amorem ac desideriũ ad Christum, ut è uestigio, nulla habita ratione, quòd suo magistratui nondum rationem reddiderit, aut solutionem fecerit, surgit, relinquit omnia, uectigal, rationarium, codicillos, claues, arcas, & sequitur Christum.

Vnde Matthæus talem hausit fidem?

Ex bona fama & rumore, quem de Christo audierat, quòd tam esset humanus & placidus uir, qui nullum quantumuis miserum mortalem expertem consolationis à se dimitteret: Cùm igitur uidet & audit eum esse, & præsentem se uocare, ut sit discipulus eius, iam propensus & paratus est sequi.

An ea quoq; fides ferax bonorum est fructuum?

Et maximè splendidum Matthæus parauit Christo prandium suis ædibus, & ecce multi publicani & peccatores, qui uenerant, simul accubuerunt cum Iesu. Quamprimum Matthæus diuinum fauorem, gratiam & misericordiam adeptus est, uocat Christum ad conuiuium, quod parauerat in sua domo magnum, corporaliter eum pascens, qui ipsum spiritualiter pauerat. Ad hæc plurimos ad se uocat sodales itidem publicanos, ut & illi resipiscant, & iusti fiant. Adeò Matthæus Christiana charitate accensus est, ut omnes homines uelit Christum agnoscere, & ex animo suscipere: qui sunt fructus fidei in Matthæo.

Atqui Matthæus omnia reliquit, unde igitur habet ædes, in quibus Christo conuiuium facit?

Apostoli non sic reliquere domos, prædia, uxores, & liberos, ut simpliciter discederent, & nihil illis prospicerent, sicut Anabaptistæ solent. Id enim contra diuinum esset mandatum, & doctrinam S. Pauli. Erant parati Christum sequi, cum Christo unà mori ac uiuere, in omnis generis tentationibus, crucibus, afflictionibus. Quia uerò citra contumeliam, aut iniuriam Euangelij suis consulere, & satisfacere officio poterant, & simul Christo in corporali subministratione seruire, maluerunt id facere, quàm alios homines spontanea mendicitate, sicut crassi nostri mendicantes solent, grauare. Sic

curam habuit Petrus suæ domus, & prospexit suæ uxori & liberis Bethsaidæ piscatura, dum Christus in Galilæa prædicaret. Ita quoq; Matthæus suam curauit domum, quàmdiu id fieri poterat citra Euangelij dispendium.

Quid Pharisæi & Scribæ ad hoc conuiuium dicunt?

Murmurabant aduersum discipulos Christi, dicentes: Cur cum publicanis et peccatoribus sumit cibum præceptor uester? His uerbis iam inuidiam & superbiam cordis sui produnt. Hi sunt fructus incredulitatis, contra Deum murmurare, & alios homines iudicare & damnare, Pontifices, Pharisæi, & Scribæ, iurè primi fuissent, qui Christum summa reuerentia suscepissent, uerbum eius omni studio audiuissent, & eius mandatum ex animo custodiuissent: sed nulla gens in terris reperitur, quæ Christo infensior fuerit, uerbum eius atrocius oppugnauerit, & audacius contra mandata eius egerit adeò, quàm istiusmodi hypocritæ. Christum enim neq; audire neq; uidere uolebant, et alijs quoq; inuidebant, insuper Christum et discipulos eius increpant, ut qui in Deum blasphemi, & in proximum contumeliosi sint.

Quid respondet Christus murmurantibus hisce Hypocritis?

Quanquam illi Pontifices, Pharisæi & Scribæ uirulenti adeò erant homines, aliquam tamen illis

debemus

debemus gratiam, quòd suis exprobrationibus & murmurationibus, Christo saluatori nostro hæc apophthegmata, ut diuinißima, ita doctrina pietatis & consolatione plenißima, ex diuino eius corde et ore elicuerint.

Quæ est prima Christi doctrina?

Sic inquit: Non egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent. Hoc dictum maximæ consolationi est omnibus peccatoribus et peccatricibus. Quis enim uelit, aut poßit in suis peccatis desperare, si audiat cœlestem adesse medicum, qui ideò maximè uenerit, ut opem ferat, non quidem ualidis & sanis, sed ægrotis. Inde adeò exclamat, Matthæi 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego uos refocillabo.

Quæ est secunda doctrina?

Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Hæc uerba piè & simpliciter sunt intelligenda. Quoniam enim nulli in terris iusti sunt, qui perfectè legi Dei satisfaciãt, sicut Dauid inquit Psal. 143. Coram te nemo uiuentium iustus erit. Et Salomon inquit: Nemo iustus homo est in terris, qui nõ peccet. Ideò Christus non uenit eiusmodi iustos, quos non inuenit, uocatum, sed peccatores, quorum plenus est mundus. Ait enim per Prophetam Ezechielem, cap. 33. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut impius conuertatur à sua uia, & uiuat.

Quod

Quod est tertium Apophthegma?

Sic ait: Quin potius ite, et discite, quid sit illud: Misericordiam uolo, & non sacrificium. Hæc uerba allegat Christus ex Propheta Osea, cap. 6. ubi ait: Pietatem desidero, & non sacrificium, & scientiam Dei magis uolo, quàm holocausta. Ac si diceret: Deus uobis Pharisæis & Scribis præcepit, ut miseris peccatoribus pietatem & misericordiam exhiberetis, eosq; ad Deum conuerteretis, fidem & Euangelium illis prædicaretis, uerbo Dei consolaremini, & in uiam reduceretis. Id omne posthabetis, & interim uaccas mactatis, & uitulos, capras & hœdos, & thura adoletis, aspergitis cinerem, & sanguinem hircorum, ac dilatatis phylacteria uestra, & magnificatis fimbrias palliorum uestrorum, decimatis mentham et anethum & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, Iudicium, Misericordiam, ac fidem: purgatis exteriorem poculi & patinæ partem, intus pleni estis rapina: comeditis domos uiduarum, dum sub prætextu precibus prolixis precamini. Ac existimatis uos probè functos officio. Quod necessarium est, & Deus præcepit, posthabetis: quæ uerò non necessaria, & homines excogitarunt, ea strenuè perficitis. Et estis cæci, & duces cæcorum, excolantes culicem, Camelum autem deuorantes. Quare neq; doctrina neq; uita uestra Deo placet.

Quid

Quid Deus hisce uult uerbis: Volo misericordiam & non sacrificium, scientiam Dei, & non holocaustum?

Haec est sententia: Volo ut homo ueram, praesentem & solidam habeat fidem, ut per uerbum meum salutare agnoscat, quàm seuerus sim Deus erga peccatores impoenitentes, quàm rursus misericors & clemens erga pios & poenitentes. Volo etiam, ut credatis me propitium uobis fore propter benedictum semen Abrahae promissum. Volo itidem, ut alteri misericordiam & beneficium exhibeatis, ut mutuas tradatis operas, & breuiter unusquisq; benefaciat proximo suo quoquo modo potest. Volo ut sapiens consulat insipienti, sanus seruiat aegroto, diues adiuuet opibus suis pauperem, iustus studeat peccatorem ad poenitentiam reducere. Et in summa, uolo ut quisq; alteri faciat id, quod sibi uelit fieri. Haec mea est uoluntas, quae lege est reuelata & sancita, quam nullo modo rescindi, sed custodiri uolo, aut non bene uobiscum agetur.

Quid nos Historia huius docet Euangelij?

Primùm, docet nos legitimam ad munus praedicandi uocationem, sicut in die Andreae dictum est. Quòd Christus hic indoctum idiotam ad munus praedicandi uocauit, hac re significat, quòd ea, quae coram mundo sunt stulta, infirma & contempta,

pta, eligat, ut omnia quæ mundus admiratur pudefaciat. Quòd autem publicanum & peccatorem elegit, declarat nullum esse coram Deo respectum personarum, & Christum propter peccatores in mundum uenisse.

Secundò, docet nos hæc historia, quomodo Matthæus ad unicam uocem Christi exilierit, & obediens ipsum secutus sit, ita & nos quoq; in omnibus, quæ Deus nobis præcepit, & adeò exigit à nobis, obedientiam præstemus & sequamur, Nimirum si uoceris ad matrimonium, & in te donum illud continentiæ non animaduertis, tum obediens esto Deo, qui inquit: Non bonum est hominem esse solum. Si ad magistratum & ad gubernandum rempub. uoceris, facilem, fidum, ac morigerum te prebeto, ac sequere Deũ te uocantem, Sicut S. Petrus inquit. Si uocaris ad docendi munus in templo, & es accommodus ad illud officium, esto obediens. Nam in hoc casu ualet hoc uerbum: Sequere me, sicut amandi Apostoli, Petrus, Andreas, Matthæus fecerunt. Tertiò, nobis hoc Euangelium cœlestem monstrat medicum, quem Pater uniuerso mundo in solatium misit, qui nos in corpore & anima saluos faciat. Similiter monstrat uerum Meßiam Saluatorem et Redemptorem mundi, qui nos gratis, præter omne nostrum opus & meritum poßit & uelit saluos facere, quatenus illi fidem adhibemus, & ex animo confidimus, & uerè ex imo

pectore

pectore creaturis omnibus renunciamus, & postponimus, nos denuq; alacri & plena uoluntate ad summum bonum, Christum Iesum filium Dei, conuertimus & reijcimus. Non ut bona nobis diuinitus donata, profundamus, aut abijciamus, quemadmodum Crates Philosophus, aut nudi inconsultò discedamus, domum, rus, uxorem & liberos deseramus, quemadmodum Anabaptistæ. Licet nobis uti creaturis Dei ad honorem eius, ad consolationem proximi, & necessarios usus nostros, modò ut animus noster sic sit affectus, Si honor Dei exigat, ut & in fortuna & infortunio æquo animo prompti & parati simus propter nomen eius corpus, res, uxorem & liberos, & omnia quæ nobis sunt, in discrimen ponere & relinquere, hac fiducia freti, quòd illis commutemus cœlum & æternam uitam, Amen.

IN DIE MICHAELIS.

De sanctis Angelis, Concio, ex Epistola ad Hebræos, cap. 1.

AD quem autem angelorum dixit unquã: Sede à dextris meis, donec posuero inimicos tuos scabellũ pedum tuorum? Nónne omnes sunt administratorĳ spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos, qui hæredes erunt salutis?

Ad

Ad quem usum Deus dilectos creauit angelos?

Primùm, & ante omnia, ut Deum laudent, & ipsi ministrent, ut Deũ inenarrabili & incessabili semper uoce celebrent & commendent. Atq; id sedulò faciunt. Sunt enim post lapsum malorum angelorum adeò accensi & inflammati diuino amore, ut aliud nihil poßint, quàm Deum laudare, gloria & honore afficere. Deo summa diligentia ministrare, sicut Daniel inquit. Deinde ad nostri defensionem, ut nos protegant, nos tueantur, & custodiant: & id quoq; faciunt. Sunt studiosi custodes & uigiles nostri, hoc eorum est officium. Sicut ad Hebraeos cap. 1. legimus: Nónne omnes sunt administratorij spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos, qui haeredes erunt salutis? In sua natura sunt spiritus, sed officio sunt tutores, fautores, & defensores.

In quibus uersatur eorum officium?

In quatuor rebus.

Quae est prima?

Incessabili uoce Deum celebrant. Vnde in Isa. cap. 6. scriptum est: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & fimbriae eius replebant Templum. Et Seraphim stabant super ipsum, & erant singulis sex alae, duabus operiebant quisq; faciem suam, & duabus tegebant pedes

des suos, atq; duabus uolabant, & alter ad alterum clamant: Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus Zebaoth, Plena est omnis terra gloria eius.

Quid hac Deus uult uisione?

Vult ea Iudæos deterrere à falsa & uana fiducia operum & meritorum: causabantur enim & prætexebant, Deum solùm apud ipsos in suo templo habitare, & ipsos solos esse ueros cultores Dei, qui manib. Deo seruirent, & ore Deum laudarent. Contra hæc scribit Isaias Propheta, & ait, Se uidisse fimbriam uestimenti Dei repleuisse templum, nedum Deus in eo habitaret, ad hoc enim multò angustius esse, quàm ut Deum capiat. Præterea habere Deum quoq; alios ministros, qui uigilantiores sint in suo officio, quàm Iudæi, nempe sanctos angelos, qui indesinenter Deum laudibus & honore celebrent. Operiunt quoq; facies suas, ac uerentur celsissimam maiestatem diuinam intueri. Nihil gloriantur de sua probitate, quemadmodum Iudæi. Neq; canunt cantilenam Pharisæorum: Nos sancti & iusti sumus. Sed sic: Sanctus est Dominus Deus Zebaoth, Deo tribuentes gloriam. Imò innocentes spiritus se coram Deo immundos agnoscunt, qui tamen nihil unquam mali perpetrarunt. Et miserrimi mortales, qui in peccatis concepti & nati sumus, et sine peccatis non uiuimus, ubi uel tantillum in nobis opus deprehendimus, ne faba quidem redimendum, mirum quas efflemus glorias, supra modum superbientes.

Quod est secundum officium eorum?

Summam adhibent diligentiam, ut publica ubiq; pax & tranquillitas conseruetur, ut Regna, Principatus, Prouinciæ*, & populi, urbes & pagi in pace uiuant concordes.* Etenim *Satan tam inuidus & funestus est* Diabolus*, ut singulis horis moliatur ac struat insidias corpori & uitæ nostræ, & summoperè cupit domum, uillas, agros, prata, frumentum, & uinum, pecora, & quicquid ad præsentis uitæ alimoniam pertinet, funditus deleri.* Id *quod satis in* Diuo Iob *declarauit, cui uno die uniuersam substantiam, facultates, pecora, liberos, & familiam eripuit.* Quid? *non* Israelitis *πανολεθρίας conatus inferre?* Atq; *ideò* Dominus Deus *noster commendauit angelis hoc officium, ut* Satanæ *resistant, eius conatus infringant, adeoq; pacem, quam ipse turbat, conseruent.* Imò *nisi sancti* Angeli *ex diuino mandato à parte nostra starent, à* Diabolo *nulla pax in terris, aut terris, aut concordia sancta maneret, sed essent omnia plena dißidijs, bellis, homicidijs, & latrocinijs, in omnibus angulis, ab ortu usq; ad occasum.*

Da exempla.

In *Apocalypsi legimus, cap. 12. quòd* Michaël *in cœlo pacem fecerit. Sic enim scribit* Ioannes *Factum est prælium magnum in cœlo,* Michaël *&* Angeli *eius præliabantur cum dracone,* Et *draco pugnabat,*

gnabat, & Angeli eius, & non ualuerunt, neq; locus inuentus est eorum amplius in cœlo. Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui uocatur Diabolus & Satanas, qui seducit totum terrarum orbem, & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo proiecti sunt &c. Sic quoq; legimus Danielis cap. 10. pacem eum in terris fecisse. Sic enim inquit Angelus ad Danielem: Noli timere Daniel, tua causa enim ueni: Sed princeps regni Persarum restitit mihi uiginti & uno diebus, & ecce Michaël, unus de principibus primis, uenit in adiutorium mihi, & ego relictus mansi apud Regem Persarum, &c. Sicut autem Michaël suum habet officium, quo Deum colit, ita quoq; alij angeli habent officia, quisq; in suo ordine.

Quod est tertium officium?

Mirum in modum optant ac precantur, ut Deus faueat hominibus, & pium affectum erga eos gerat, ut homines placeant, sint gratiosi, & habeant propitium Deum. Sic legimus Zachariæ 9. Angelus Domini orabat, dicens: Domine Zebaoth, usq; quò non misereberis Hierusalem, & urbium Iuda, quibus iratus fuisti hisce septuaginta annis? Et Christus ait, Lucæ 15. capite: Gaudium erit in cœlis coram Angelis Dei super uno peccatore resipiscente. Atque hæc tria officia dilecti Angeli explicarunt & comprobarunt carmine suo Enco-

mlastico, quod in natiuitate Christi cecinerunt: Gloria in altißimis Deo, & in terra pax, hominibus bona uoluntas.

Quod est quartum eorum officium?

Tuentur ac defendunt nos totis uiribus, & summo nisu, ab omnibus nostris inimicis.

Quos habemus hostes?

Primùm non contemnendum habemus hostem, propriam carnem: Deinde deterrimum mundum, Tyrannos & Turcas: Tertiò sæuum & truculentum hostem Satanam.

Qualis Satan est Spiritus?

Talis est spiritus, qui ex mero odio conatur Dei gloriam infringere, & cultum eius impedire. Et qui in ueritate non stetit in principio, & est homicida, nihil non mali in Ecclesia comminiscitur. Dolet illi uel ullum hominem eius in cœlo locum capessere, & saluari. Conatur igitur omnes Dei ordinationes, Politias, Oeconomias extinguere, & funditus euertere. Incendit igitur & armat Iudæos, Turcas, Gentes, Tyrannos, in Christianos: mouet seditiones, & excitat falsa dogmata, hæreses et sectas, inficit aërem, infert pestilentiam, annonæ difficultatem, & inauditos morbos, seducit ac præcipitat homines in omnis generis peccata, uitia, & flagitia. Et si sancti angeli ex diuino mandato non resisterent

sterent illi, tum omnia in uno momento oculi pessum irent.

An non Deus igitur tam est potens & præsens, ut Diabolo, Mundo, & Tyrannis resistat, citra Angelorum auxilium?

Quanquam Deus est omnipotens, & angelorum auxilio non indiget, uisum est tamen illi, creaturis tanquam medijs instrumentis ad diuina sua opera uti. In diluuio uniuersum mundum, uel uno uerbo deleuisset, sed non uoluit. Nubes et aquæ ad hoc distinatæ erant. Sic igni & sulphure Sodoma & Gomorrha subuersa Deo iubente. Mare rubrū item uoluit Aegyptios & Pharaonem submergere. Tubæ Sacerdotum muros Ierichuntícos quassarunt. Ita Deus ad puniendum Israëlem opera Assyriorum, ad plectendum Iuda opera Babyloniorum utebatur. Ad deuastandam Hierosolymam utebatur Romanis. Et hodierno die utitur Deus Turcis ad puniendos falsos Christianos. Sicut autem Deus per media creaturarum punit, ita uult quoq; nos per medium angelorum defendere, & tueri. Ac porrò audite: Deus potuisset una hora omnes homines ad fidem conuertere, sed sine Euangelij prædicatione non uoluit facere. Vno die omnes masculos & puellas doctas reddere, sed sine opera præceptorum nō uoluit facere. Et posset quidem uno uerbo omnes ægrotos sanitati restituere, sed sine medi

cima non collibuit. Et posset quoq; omnes maleficos uel subitanea morte perdere, sed absq; magistratu non uult facere. Et in summa, quotannis frumentum produceret, nullo semine terræ mandato, sed non uult, sed reuera uult omnia sua miracula & opera, per media & cooperatione creaturarum ædere & perficere: sic illi placet, & propterea nobis quoq; placeat.

Profer exempla.

Deus Loth unà cum uxore & liberis eripuit ab excidio Sodomorum per Angelos, Filios Israël per mare rubrum & desertum ducebat per suos Angelos. Quis impediuit Balaami maledictionem super Israël, nisi angelus? Quis confortauit Gedeonã contra Midianitas, ut trecentis uiris uiginti millia uirorum & centum trucidaret? Angelus. Quis occidit ante Hierosolymam in exercitu Assur centum & octoginta quinq; millia? angelus Domini. Nónne angelus Domini Danielem illæsum in speleo leonum conseruabat? Nónne Angelus Gabriel Mariæ tulit nuncium, quòd esset paritura saluatorem mundi? Nónne Angeli nunciarunt natiuitatem Christi pastoribus? Nónne Angelus adhortabatur Ioseph, ut ab Herode fugeret in Aegyptum, & post obitum Herodis reuerteretur in patriam? An non Angelus Christum consolabatur in horto? An non Angeli apparebant mulieribus post resurrectionem Christi? Nónne Angelus Apostolos è carce

re & custodia Iudæorum ducebat, & Petrum è carcere Herodis? An non Angelus Paulum in sua profectione consolabatur, super aquas & terras? Quis deturbauit Satanam cum suis sodalibus è cœlo, nisi angelus Michaël? Quis nostras preces ad Deum refert, nisi dilecti angeli? Quis gaudet super peccatoribus & peccatricibus, quàm sancti angeli? Quis manet Christianorum animas, ut perferat in sinum Abrahæ, quàm boni angeli? ut autor Epistolæ ad Ebræos bene dicat, Angelos esse administratorios spiritus, qui in ministerium emittuntur, propter eos qui hæredes erunt salutis. Et Christus inquit, Matt. 18. Videte ne contemnatis unũ ex his pusillis: Dico enim uobis, quòd angeli eorum in cœlis semper uident faciem patris mei, qui in cœlis est. Q. d. Habent illi Dominum, qui dicitur omnipotens, præterea habent speculum quod dicitur facies Patris, in quo omnia uident, quæ in cœlo & in terra sunt.

Quem igitur Deo cultum præstemus pro talibus ac tantis bonis & beneficijs?

Primum, hæc præsentissima Dei beneficia diligenter pueris inculcemus, ut uicissim in honorem Dei et angelorum à peccatis sibi temperent. Nam Satan pueris peculiariter infestus est, & ægrè fert, uel in mundum nasci eos. Quare sæpe matres perterrefacit, quando grauidæ sunt. Quando in

mundum nati sunt, insidiatur eis, donec in uiuis fuerint, cupiens eos in igni, aqua, & alijs periculis perdere. Id uniuersum boni angeli impediant & prohibeant, ne fiat, oportet.

Deinde etiam pro nobis ipsis Deo gratias agamus, hoc enim beneficium bona gratia dignum.

Et bene apud memores tomi stat gratia facti.

Nonne ingens solatium est omnibus Christianis, qui quotidie cum tot immanibus hostibus & Tartareis spiritibus manum conserere coguntur, quòd à Deo tales, & tam præclaros patronos & defensores habeant, qui ipsos circundant & circumuallant, ne ullus ad eos hostis perueniat, imò ne pedem quidem lædant, aut ad lapidem impingant. Sicut 34 & 91. Psalm. ait.

Hæc uerò gratiarum actio erga Deum quomodo fiat?

Sic dicamus: Ah clementißime & misericors Deus, tibi sit laus, honor & gloria pro uniuersis tuis donis & beneficijs, quæ tu omnipotens & mipijßime Deus miseris creaturis nobis præstitisti: maximè autem pro eo, quòd peculiarem mihi custodem & uigilem ordinasti, qui me ducat, regat, ac gubernet, ab omni malo defendat, & protegat. Fateor quidem me tam esse infirmum & inopem, & si meorum multæ essent myriades, non uni tamen possemus resistere Diabolo. Nunc autem in rei ueritate intelligo, me auxilio & præsidio sanctorum

rum Angelorum tuorum , uel cunctis inferorum portis resistere posse, Pro quo sit tibi laus , honor, & gloria in omne æuum.

Quomodo nos erga bonos Angelos geramus?

Nihil dulcissimis Angelis gratius facere possumus, quàm ut honestam et decoram uitam agamus, in nostra uocatione, in omnibus Christianis moribus & uirtutibus, ne superbi, auari, libidinosi, inuidi simus, & odio flagremus, non in contentione, iracundia, & discordia uiuamus. Basilius scribit super Psalmum 34. Cuiq; fidelium Angelus adest, si non peccatis absterreatur. Nam quemadmodum fumus apes, & fœtor columbas fugat, ita quoq; scelera & iniquitates sanctos Angelos ab hominibus repellunt. Et Augustinus ait: Si homo Satanæ consilio & suggestioni acquiescit, & peccatum designat, tum bonus ab eo Angelus recedit. Et hic discessus ipsi tristitiam adfert. Sicut enim omnes Angeli gaudent super uno peccatore resipiscente: Ita rursus omnes angeli mœrore afficiuntur super uno impœnitente, & obstinato homine. Si uerò cor uestrum in fide & Dei uerbo rectum & integrum fuerit erga Deum, in fraterna & non ficta charitate erga proximum, inq; mortificatione carnis, in opprimendis prauis cupiditatibus & affectibus erga nos ipsos: si nostra sic habet uita, tum manent boni Angeli nobiscum, custodiunt nos, & ministrant nos

bis usque ad finem. Et cum hora aduenerit, ut Deus nos hinc auocet, nostras audi expectant animas, & deportabunt eas quemadmodum Lazarũ, in sinum Abrahae, in aeternam uitam, Amen.

IN DIE SIMONIS ET Iudae, Euangelium, Ioannis 15. cap.

HAec praecipio uobis, ut diligatis uos mutuò. Si mundus uos odit, scitis quòd me prius quàm uos odio habuerit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est, diligeret. Quia uerò de mundo nõ estis, sed ego selegi uos de mũdo, propterea odit uos mundus. Mementote sermonis, quem ego dixi uobis. Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt. Sed haec omnia facient uobis propter nomen meum, quia non nouerunt eum qui misit me. Si non uenissem & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem non habent quod praetexant peccato suo. Qui me odit, is & patrem odit. Si opera non fecissem inter eos, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.

haberent. Nunc autem & uiderunt & oderunt, non solùm me, uerumetiam patrem meum. Sed hoc accidit, ut compleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Odio habuerunt me gratis. Cùm autem uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre, spiritus ueritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: Quin & uos testes estis, quia ab initio mecum estis.

ARGVMENTVM.

Contra odium mundi, fraternum Christus amorem
Discipulis mandat, de cruce praeq; monet.

Quid Christus in hoc Euangelio agit?

Tria praecipuè: Primùm hortatur suos discipulos ad fraternam charitatem.

Secundò, quia à mundo odium & persecutionem sustentaturi erant, proponit & commendat illis suum uerbum, unde in rebus tristibus & afflictis consolationem hauriant.

Tertiò, causas quoq; ostendit, cur mundus Christianos odio habeat.

Quibus uerbis hortatur Christus ad dilectionem?

Sic ait: Haec mando uobis, ut diligatis uos inuicem, quasi dicturus: Moses suis discipulis mul-

tas imposuit leges, et pluribus quàm sexcentis præceptis onerauit, nec tamen spiritum ad eas leges & præcepta perficienda addidit. Verùm ego uobis meis discipulis tantùm unum tradam præceptum, & unicum opus imponam. Et sit illud ipsum opus, quod egomet, ut sit uobis exemplo, facio. Etenim diligo patrem meum, & seruo eius mandatum, ad eundem & uos facite modum. Diligite uos inuicem, tum præceptum meum seruabitis, & filij mei obedientes eritis. Nec sanè opus, ut corpus & animã pro proximo ponatis, quemadmodum ego pro uobis facio, tantùm ut symbolum & signum fidei detis, nempe, auxilium, solatium, operam, commendationes, fidem & dilectionem. Id si feceritis, tum totum erit factum, quod à uobis postulo, & estis dilecti mei filij. Si autem non feceritis, non est quòd de me gloriemini. Nihil enim est dicere tantùm: Equidem baptizatus sum, uocor discipulus Christi, audio uerbum Dei, participo de mensa Domini, sed amplius quiddam requiritur.

Nudum igitur nomen Christi non sufficit?

Minimè: Oportet Christianum bonam esse arborem, quæ bonos fructus proferat, cor habere fide uiua imbutum, unde Euangelica bona proficiscantur opera, necesse est fidem non adeò ociosam, frigidam, & intermortuam rem fingi (sicut Sophistæ arbitramur) sed uiuidam & frugiferam arborem

esse,

esse, quae multos proferat fructus, & ex omni parte se bonam perhibeat.

Quae est certa nota & differentia inter ueram & fucatam fidem?

Vbi uera est fides, ibi se re ipsa comprobat, & ociosa esse nequit. Vbi uerò ficta fides, ibi nomen quidem & species, gloriosa iactantia & arrogantia, sed nihil rei subest. Atq; hoc discrimen Mundus non uult intelligere. Quare iam tempus periculosum est praedicandi. Si quis doceat, sola nos fide iustificari, tum omnes cessant à bonis operibus, si uerò docetur: Christianos oportere claros esse et insignes bonis operibus, tum fides in discrimen uocatur & languescit. Quoquo modo doceatur & praedicetur, nihil adeò legitimè agitur, quemadmodum aequum erat. Tum auditores semper in alterutram partem inclinant, & deflectunt à regia uia. Homines aut sine fide operarij, aut sine operibus creduli esse uolunt.

Nemo in arcem huius causae uult inuadere, & rectè expendere, sed hoc pleriq; agunt, ut fidem et opera in uitae consuetudine, ac moribus disiungant, id quod est impoßibile, ac non minus quàm ignem & calorem semouere. Sic enim canitur: Certißimè proueniunt opera ex uera fide. Attamen sola fides iustificat. Opera autem seruiunt proximo, ex quibus fidem animaduerti licet.

Adeóne

Adeóne multum intereſt dilectionis?

Plurimum ſanè: Poſt fidem *nullum opus in terris eſt, quod tam ſit gratum & optatum* Deo, atq; *dilectio, de qua Chriſtus inquit.* Talis enim dilectio *non à ſeipſa proficiſcitur, ſed ex fide originem ducit, neq; quærit quæ ſua ſunt, ut inquit Sanctus Paulus, ſed eſt patiens & benigna, non inuidet, non eſt procax, non inflatur, non eſt faſtidioſa, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniuſtitia, ſed congaudet ueritati.* Et 1. ad Timoth. capite primo *inquit*: Finis *præcepti eſt charitas ex puro corde, & conſcientia bona, et fide non ſimulata.* Quo*niam autem* Chriſtus *nouit quòd tam neceſſaria ſit germana charitas, ſuis diſcipulis in ultima concione non multa tradit præcepta de bonis operibus, ſed ſolùm illis præcipit, ut ſe inuicem diligant, quaſi dicturus: Si fidem & dilectionem habituri, ſine dubio & omnia, quæ iniunxi uobis facturi eſtis.*

Quomodo conſolatur Chriſtus ſuos diſcipulos in futura afflictione & odio mundi?

Sic ait: Si mundus uos odit, ſcitis quòd me prius quàm uos odio habuerit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum eſt, diligeret. Quia uerò *de mundo non eſtis, ſed ego ſelegi uos de mundo, propterea odit uos mundus.*

Quid

Quid uocas mundum?

Christus hîc mundum dicit omnes eos, qui eius uerbum non suscipiunt, Euangelio non credunt, ueritatem non colunt, imò omnes impios & infideles homines, qui fidei iustitiam non agnoscunt, quantumuis alioqui iusti, sapientes, prudentes perhibeantur.

Quid nunc Christus hisce sibi uult uerbis?

Tantundem uult dicere: Iucundißimi discipuli & Christiani, futurum ut abundè multos habeatis osores, & inuidos, ut Diabolum, & uanum mundum, quare hoc agite, ut per charitatem deuinctiores, & necessitudine sanctißima coniuncti sitis. Et si maximè mundi fauorem & gratiam amittatis, multosq; adeò amicos propter me relinquatis suis uijs, ne tamen uos diuelli & disiungi patiamini. Mementote sermonis mei, quem ego dixi uobis: Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt. Hoc exemplum in animum aduertite. Videte quid mihi obtigerit, equidem ueni in mundum, ut & corpus & animam hominis saluarem, à Diabolo, morte, & orco liberarem, pro eiusmodi beneficijs me crudelißimè persecuti sunt, & tandem me in crucem agent, & occident, hoc est, quod ego ablaturus sum, premium. Sicut ergo mihi

bi domino & præceptori egerunt, ita quoq; uobis meis discipulis & ministris facient. Mundus enim non potest, non uult, non studet aliud facere, quàm quod Princeps ipsius Satan suadet. Quare ne admiremini, si mundus uobis aduersabitur, non enim fit temerè. Mundus uult iustitiam operum institue re & defendere, nos autem contrarium facere oportet, nempe iustitiam fidei docere, & commendare. Id uerò si strenuè & sedulò agatis, & operam detis, tum necesse est, ut reijciatis quicquid in mundo est, omnem carnalem prudentiam, probitatem, iustitiam, liberum arbitrium, & his similia, ut meministis me quoq; fecisse. Quî potest hic manere concordia? Hic iam mundus uerba uestra pessimè interpretabitur, & contra uos insaniet, & ibit, et tandem non meliorem euentum, quàm ego habui, sortituri.

An discipuli igitur Christi non sunt de mundo?

Tale testimonium hic habent à Christo, quòd non sint de mundo, neq; prædicaturi, quæ mundo placeant. Non quærunt carnalem probitatem & iustitiam, quemadmodum mundus, neq; confidunt proprijs suis operibus et meritis, sicut mundus, sed urgent tantùm meritum Christi, tanquam unicam causam nostræ iustitiæ, & salutis. Quia uerò id mundus ferre non potest, erit inter eos & mundũ perpetuum odium, & inuidia, ac irreconciliabile (quod aiunt) bellum.

Quæ

Quæ eſt autem præcipua cauſa, cur mundus tanto, ac tam ferali in Chriſtianos flagret odio?

Chriſtus perſpicuè oſtendit cauſam, & ait: Hæc *omnia facient uobis propter nomen meum, quaſi dicturus:* Non *uos odio habebunt, aut perſequentur propter ſcelera aut flagitia, quòd fures, prædones, latrones, &c ſitis, ſed tantùm quòd meum uerbum prædicatis, & dicitis:* Nullum *aliud eſſe nomen, ſub cœlo datum inter homines, in quo poßint ſalui fieri, præter unum nomen* Ieſu *Chriſti, ac docetis, nullam aliam eſſe ad cœlum uiam, quàm per ſolum Chriſtum.* Hæc *adeò eſt cauſa omnis odij & perſecutionis: Sanctum meum nomen, quod per uos prædicatur, eſt illis merum uenenum, & mors præſentißima, non id nominari ferre poſſunt. Si doctores operum, &* Hypocritici *prædicatores eſſetis, & ſic mundo aſſentaremini, cum eo genialiter uiuentes in conuiuijs & tripudijs, & placita illi facientes, tum feſtiui, lepidi, & dulces eſſetis filij, imò tum in manibus uos geſtaret, optima quæq; & gratißima officia præſtaret.* Quòd *ſi uerò pergetis de me prædicare, me ſolum eſſe* Dominum, *& unicum mediatorem,* Aduocatum, Saluatorem, *& liberatorem, &* Diaboli *nundinationes reijcietis, nullam apud mundum &* Satanam *gratiam, aut amicitiam inibitis.* Imò *dulciſsimi mei diſcipuli &* Chriſtiani, *ſi ipſe ego idololatricum eorum cultum lauda-*

re, & quæ illis arriserint prædicare uoluissem, equidem facilè propitios pontifices, Pharisæos, & Iudæos inuenissem. Sed meum non id tulit officium. Ego in mundum ueni, ut faciam non uoluntatem mundi, Pontificum, aut Pharisæorum, sed uoluntatem mei patris, qui in cœlis est, qui me misit, quem & illi non nouerunt.

Hæc horrenda est plaga & cæcitas Deum patrem non nouisse?

Sanè quidem: Quid grauius aut tristius hominibus eueniat, quàm quòd patrem non cognoscant, qui unicum suum filium misit in mundum, ut esset solatio toti humano generi? Profectò satis graues dederunt pœnas. Etenim quando patrem non cognoscunt, nec filium cognoscere possunt. Quia uerò filium non cognoscunt, neq; possunt ab ipso missos cognoscere. Quia uerò neq; patrem neq; filium neq; filij legatos (sanctos Apostolos) cognoscunt, coguntur cæcitate percußi & obdurati ueritatem persequi. Etiam quidem de illis lata est sententia, & condemnatio designata, quemadmodum super Pharaone & Aegyptijs.

Nulla ne igitur consolatio aut spes est apud eiusmodi homines?

Nulla omnino. Christus inquit: Si non uenissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem non habent quod prætexant peccato suo. Qui me odit, is & patrem meum odit. Si opera

non

non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatũ non haberent. Nunc autem & uiderunt & oderunt, non solum me, uerumetiam patrem meum. Sed hoc accidit ut compleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: Odio habuerunt me gratis.

Quid Christus his uult dictum uerbis?

Significat duas fore partes, quæ Iudæos damnabunt: uerbum eius diuinum, & magnifica eius miracula. Nam Christus eis ultra triennium Euangelium prædicauerat, similiter & sancti Apostoli discipuliq; Christi. Viderunt præterea stupenda eius facta & miracula, quæ in cæcis, claudis, surdis, mutis, leprosis sanandis, & mortuis uitæ restituendis ediderat. Adeò ut nullam excusationem haberent, quam prætexerent.

Quid est, quod Christus dicit: Non haberent peccatum?

Dictum est hoc in hunc modum, sicut Ezechiel cap. 18. inquit, Quòd unusquisq; propter sua ipsius peccata moriatur. Per Christum enim peccatum originis sublatum fuit, & post aduentum Christi neminem amplius condemnat, nisi eos, qui non omittere, hoc est eum, qui in Christum non uult credere, & uerbum eius non suscipere. Ideò duæ hæ partes aduersarios quoque condemnabant. Nam Euangelium iam ad uiginti annos audiuerunt, uiderunt præterea miracula & magnalia Dei,

quomodo ſuum uerbum contra tot Sectas, fanaticos, calumnias, uirulenta conſilia, & commenta, tam potenter conſeruarit, ut & ipſi nihil habeant, quod ſuo peccato prætexant.

Quid eſt quod Pſalmus dicit: Odio habuerunt me gratis?

Hoc dictum, Mundi proprius eſt Titulus, quo iure inſigniendus & notandus, ut uel in clypeo uel in fronte ſcriptum & pictum ferat. Nimirum quòd non ſolùm Dei uerbum ex ignorantia contemnat, quod quidem ferri poſſet, ſed prudens neq; audire, neq; uidere uult, imò furijs actus inſanit, debacchatur in illud, quemadmodum ipſe diabolus. Quis mundus non aliud eſt quàm cœtus & aceruus impiorum hominum, à Diabolo obſeſſorum, qui non ſolùm miſellos Chriſtianos, uerumetiam Deum patrem, filium, & ſpiritum ſanctum contemptui habent. Quid Deus eiuſmodi aliud daret, quàm Turcicos Tyrannos & mendaces paſtores? Talibus hominibus gaudent miſeri mortales, ut Turca ipſorum corpora, & paſtores animas affligant, non enim aliter deſiderant. Qui uerò diſcipuli Chriſti ſunt, doctrinam præceptoris ſui Chriſti charam habeant, & ſequantur, patienter crucem ferant, & uincant, & conſequentur tandem promiſsionem æternæ uitæ, Amen.

IN

IN DIE OMNIVM SANCTORUM. De sancta Christiana Ecclesia, & Sanctorum communione, Concio.

Quid præcipuè de sancta Ecclesia dici potest?

Tria potißimùm. Primùm, quid Christiana Ecclesia, & sanctorum communio sit.

Secundò, quibus de notis cognosci debeat.

Tertiò, quid eos, qui in eo sunt cœtu, facere oporteat.

Hæc uox, Ecclesia, quid significat?

Ἐκκλησία in nostra lingua Germanica significat cœtum & congregatum populum, siue Iudæi sint, siue gentes. Sic Scriba appellat populum Ephesinum, Actorum 19. contra Paulum in foro congregatum, qui tamen Gentes erant. Sed Christiani non simpliciter uocantur Ecclesia, sed sancta Catholica Christiana Ecclesia, quæ credit in Iesum Christum, & habet Spiritum sanctum, qui ipsam sanctificat, & in fide conseruat. Quòd si in Symbolo hæ uoces usurpatæ fuissent, Credo esse sanctum aliquem Christianum cœtum, pleræq; omnes superstitiones, & abominandi errores, qui sub illa perobscura & peregrina uoce (Kirchen) in Ecclesiam irrepserunt, præcaueri potuissent. Nam quiuis hac

uoce audita, Credo in terris sanctum Christianum esse populū, hoc modo uerè ratiocinari potuisset, & dicere: Talis populus non sunt Iudæi, neq; Gentes, neq; Turcæ. Ratio est: Non credunt Iesum Christum suum esse adiutorem, & Saluatorem mundi, sed fingunt sibi quisq; proprium saluatorem & redemptorem, suam propriam probitatem, iustitiam, opera & merita. Hisce enim rebus existimant se salutem paraturos.

Quid est ergo Christiana Ecclesia?

Est sanctus Christianus populus, sancta Ecclesia, congregatio fidelium consentiens in fide, charitate & spe, uerbo & Sacramentis, spirituale corpus, cuius corporis caput est Dominus noster Iesus Christus, Ephe. 1. & Coloss. 1.

Quare sancta Ecclesia uocatur, aut Communio?

Eam obrem, quòd in hoc cœtu omnia sunt communia, cuiusq; bona, gratiæ & dona sunt alterius.

Quæ est conditio huius Communionis.

Nos omnia cum Christo habemus communia, sui quicquid habet, id nobis impertit, quicquid nos habemus, id in se suscipit. Ipse habet omnia bona, est omnipotens, misericors, pacificus, placidus, bonus, iustus, castus, sanctus, longanimis, mitis, sobrius,

us, mansuetus, fidus, uerax &c. id nobis tradit. At nos habemus omnia peccata, uitia, iniquitates, quæ ipse in se suscepit, & nobiscum commutat, pro nostra malitia suam probitatem, pro nostris peccatis suam gratiam, pro nostris inferis suum cœlum, pro nostra morte suam æternam uitam donans. Fides est dos, per quam Christo sponso desponsamur, & in hanc communionem recipimur, Hoseæ 2.

Num omnes homines ad hanc Ecclesiam pertinent?

Non sanè: Soli Christifideles ex Iudæis & gentibus à Deo electi, & ad Christum conuersi, à primo fideli ad ultimum usq;. Quicquid nunc Deus in unoquoq; membro eiusmodi spiritualis corporis operatur, id uniuerso corpori bono & emolumento est. Quicquid Abel, Noah, Abraham, Moses, Dauid, dilecti Prophetæ, deinde Ioannes Baptista, Maria mater Christi, sancti Apostoli, & Martyres, dum in uiuis essent, à Deo precati sunt, optarunt, & cupierunt, id hodierno die commodat, & utilitati cedit Christianæ Ecclesiæ. Etenim talis oratio adhuc uersatur ante oculos Dei, siquidem apud Deum patrem nulla est immutatio, Iacob. 1. Et mille anni coram Deo sunt sicut dies unus, ut S. Petrus inquit.

An nunc etiam pro nobis intercedunt Sancti?

Zachariæ primo legimus, bonos Angelos pro nobis interpellare, sed de sanctorũ intercessione nullum habemus scripturæ testimonium, aut mandatum Dei. Quare tutius est nos contentos esse eo intercessore, quem Deus pater nobis dedit & designauit, qui exclamat, Matthæi cap. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego refocillabo uos.

An dilectos quoq; sanctos honore prosequamur?

Quid ni honore eos afficiamus, tanquam electos filios Dei, membra Christi, & templa sancti spiritus? imò de eis tanquã de charis nostris fratribus & sororibus honorificentißimè cogitemus, loquamur, scribamus & prædicemus.

Quomodo eos honoremus?

Primùm, gratias agemus Deo, laudibus nomen eius perpetuis celebrantes, quòd nobis in dilectis sanctis iucundißimas diuinæ gratiæ imagines, & plena consolatione exempla proposuit.

Secundò, ut ipsorum exemplis edocti & confirmati, nostræ fidei robur addamus, parem gratiam & opem apud Deum nobis polliceamur.

Tertiò, ut eorum fidem, dilectionem & patientiam imitemur, quisq; in suo officio & uocatione. Hîc iam Deum obnixè oremus, ut miseros nos peccatores, qui etiamnũ in carne militamus, tali tamq; præsenti fide, charitate, spe, patientia, & constan-

tia dignari uelit,ut nos quoq; uitiosam carnem & naturam nostram,mundum, & Satanam superemus, et tandem cum Christo, & omnibus electis agamus in æterna uita.

Vnde cognoscitur sancta Ecclesia Christiana?

Septem sunt notæ, ex quibus cognosci poterit.

Prima, Vbi Dei uerbum & sacrosanctum Euangelium prædicatur. Nam Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Euangelium miracula edit in terris, eijciens Dæmonia hæresium, superstitionum, & id genus aliorum portentorum.

Secunda, Vbi Sacramentum Baptismi est, & iuxta institutionum Christi ritè administratur. Nam Baptismus est lauacrum regenerationis, ad Tit.3.cap. in quo per innocentem Christi sanguinem ab omnibus peccatis purgamur, & lauamur.

Tertia, Vbi Sacramentum corporis & sanguinis Christi est, & iuxta Christi institutionem & ordinationem præbetur, corpus quidem sub pane, & sanguis Christi sub uino.

Quarta, Vbi claues sunt ad ligandum & soluendum, secundum mandatum Christi, Matth.19. & Ioan.20.

Quinta, Vbi ministri Euangelij uocantur, & ordinantur & confirmantur ad prædicandum Dei uerbum, ad ministranda Sacramenta, ad absoluendum, & ad alia officia Ecclesiæ perfungenda.

Sexta, Vbi ex animo sancta oratio Dominica promitur, Psalmi & Hymni canuntur, & summa diligentia Catechismus, doctrina simplicium, tabula Oeconomica, & aliæ partes necessariæ tractantur.

Septima, Vbi mysterium sanctæ crucis, afflictiones, tentationes, persecutiones, calamitates, & miseriæ sunt. Inde est quòd dicit Christus, Matth. cap.5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam illorum est regnum cœlorum. Et S. Paulus inquit 2. Timoth. 3. cap. Omnes qui piè uiuere uolunt in Christo Iesu, persecutionem patientur.

Quid nobis faciendum est, quando in societatem Christianæ Ecclesiæ suscipimur?

Primùm debemus in animum reuocare nostrũ Baptismum, & recordari nuncupatorum nobis in eo uotorum, quibus promisimus nos Satanæ & omnibus eius complicibus & assectis renunciare, in Deum patrem, Filium, & Spiritum sanctum credere, eamq; fidem erga proximum reipsa comprobare, ueterem Adamum nostrum, peccatricem adeò carnem unà cum omnibus prauis affectibus & cupiditatibus mortificare, & nouos homines prodire uelle.

Secundò, in manus sumemus decem præcepta, et tanquam in speculum nostræ uitæ ea inspiciamus

quid

quid nobis desit, & iure desideretur, ut Deum super omnia diligamus, sacrosanctum eius nomen non uanè usurpemus. Sabbatū sanctificemus, deinde etiam proximum nostrum toto corde diligamus, patrem & matrem, & qui nobis constituti magistratus, honoremus: nullius corpus, uxorem, liberos, familiam, pecuniam & opes, honorem & famam, domum & possessiones affligamus, sed tanquam fratres & sorores sub uno patre in pace & concordia uiuamus.

Tertiò, oculos ad articulos Christianæ fidei uertamus, ne plus minúsue credamus, quàm Christianum decet Et omnia quæ aduersantur fidei, ut Idololatria, magia, superstitiosæ precatiunculæ, & id genus præstigias fugiamus.

Quartò, & sacram orationem Dominicam intueamur, ut eam deuoto dicamus animo, et id quod nos docet, effectum demus. Nempe, ut debitoribus nostris remittamus, sicut nos à Deo peccatorum ueniam oramus.

Quintò, in uenerando Sacramento altaris nobis meditata sit ingens bonitas, & beneficium Dei, & preciosus thesaurus, quem Christus in eo nobis dedit, sacratißimum suum corpus edendum, et preciosum suum sanguinem bibendum, & remißionē peccatorum, ut ei incorporaremur, & æternum cum ipso uiueremus.

Sextò, nostræ quoq; uocationi & ordini seruiamus,

uiamus, officiumq; summa diligentia, studio & cura faciamus, ac negotia à Deo mandata expediamus. Nam de his seuera & exacta ratio suo tempore est reddenda.

Septimò, si huius sanctæ Christianæ communionis uolumus fieri participes, necesse est, ut & nos (quod in nobis est) eam ædificemus, proucbamus, & conseruemus.

Id quo pacto nobis faciendum?

Tria præcipuè nobis sunt agenda, & omni diligentia curanda, ut ea proucbamus, adiuuemus, & custodiamus. Nempe reipublicæ administratio, ludimoderatio, & ministerium uerbi. Nostrum est, ut pro omnibus ciuilibus magistratibus diuinitus ordinatis, deprecationes, obsecrationes, interpellationes, & gratiarum actiones fiant. Sicut S. Paulus docet, 1. Timoth. 2. ut sub illis placidam ac quietam uitam degamus, cum omni pietate & honestate.

Secundò, nostros liberos scholis committemus, ut homines educemus, qui Ecclesiæ seruire queant, cùm in ciuili tum in Ecclesiastica administratione.

Tertiò, etiam curandum, ut idoneos ministros uerbi, doctos concionatores, Pastores, Diaconos, & Ecclesiæ ministros in promptu habeamus, qui Christianæ Ecclesiæ uerbo Dei prouideant, & consulant, regnum Dei ædificent, & dilatent, multosq;

tosq; pios liberos in cœlum mittant, & Diaboli regnum destruant.

Quid uerò illis eueniet, qui in hac sancta Ecclesia non sunt?

Quemadmodum tempore Noah nemo superstes manere, & extra arcam saluari potuit, ita iam nemo hominum ab æterna morte consistere, & extra sanctam Christianam Ecclesiam conseruari poterit. Quicquid non super petram Christum per fidem ædificatum est, id in periculo uersatur, ne turbines & procellæ euertant. Extra Christum enim nulla salus aut felicitas est.

Vt audio, omnis danda est opera, ut in hac Christana inueniamur Ecclesia?

Sanè uerò: Multi inueniuntur mortales, qui magnam inde capiunt uoluptatem, quòd claris & magnis orti parentibus sint, multos fidos amicos & bonos fautores habeant, sint in autoritate, frequententur & stipentur à grauibus uiris, uiuant in florente & gloriosa republica, in gubernatione, in senatu, in tribubus & officijs, in amplis negotijs et societatibus. Item quòd sint in splendido cœtu, inter claros & doctos, in Academijs, Collegijs, Monasterijs, in sacris ordinibus & fraternitatibus. Quantò magis Christianus ex animo gaudebit, quòd in tali sancta Ecclesia, sanctorum communione, beata societate, & Christiana fraternitate sit, ubi

ubi Deus pater ipse Imperator & Papa, Episcopus, & Abbas est: ubi Christus, uia, ueritas, & uita est: Spiritus sanctus Dux uiæ est, Nempe in Christiana Ecclesia, in ciuitate Domini, in cœlesti Hierosolyma, ubi iam pulchra & præclara futura est congregatio, quæ nunquam dissoluetur, lumen quod nunquã extinguetur, gaudium quod nunquã desinet. Ibi talis erit uita, in qua à morte, Satana, peccatis, inferis, & omni infortunio liberati, æternũ uiuemus, in sempiterna luce, & claritate, in uera notitia Dei, & æterna gauisuri sumus gaudia, in æterna lætitia, & felicitate. Id quod nobis præstet Deus pater, Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

IN DIE S. MARTINI,

Euangelium, Lucæ XII.

DIxit Dominus discipulis suis: Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ accensæ, & uos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptijs: ut cùm uenerit ac pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cùm uenerit dominus, inuenerit uigilantes: amen dico uobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si uenerit in secunda uigilia, & si in tertia uigilia

uenerit,

uenerit, atq; ita inuenerit, beati sunt serui illi. Hoc autem scitote, quòd si scisset paterfamiliàs qua hora fur uenturus fuisset, uigilasset utiq;, nec passus fuisset perfodi domum suam. Et uos igitur estote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis ueniet.

ARGVMENTVM.

Expectant dominum sera ceu nocte ministri,
Sic etiam uigiles conuenit esse pios.

Quid in hoc Christus potissimùm agit Euangelio?

Primùm, hortatur suos discipulos, ut in sua uocatione diligentes sint, suam spartam ornantes, omnem segnitiam, obliuionem, & negligentiam deponant, & magna cura & solicitudine, sicut fidos seruos decet, suum Dominum *expectent.*

Deinde ostendit quoq; præmium fidelium seruorum, dicens, eos beatos fore, iniustos econtrà.

Tertiò, exemplo patrisfamiliàs demonstrat, quantum periculi sit, ubi parum diligenter uigilatur.

Quomodo habet exhortatio Christi?

Sic inquit: Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ accensæ, & uos similes hominibus expectantibus

tibus Dominum ſuum, quando reuertetur à nuptijs, ut cùm uenerit ac pulſauerit, confeſtim aperiant ei.

Quid ſignificat lumbos præcingere?

Lumbi in ſcripturis ſignificant principium naturalis generationis: Sicut Gene. 35. Reges ex lumbis tuis uenient. Quia uerò primogenitura propter peccatum originis impura eſt, & talem ſecum adfert reatum, qui certiſsimè condemnat, & ſalutem impedit, niſi noua natiuitas acceſſerit, de qua Chriſtus inquit Ioan. 3. ad Nicodemum. Non immeritò hic Chriſtus exhortatur ut lumbos præcinctos habeamus, hoc eſt, ut omnia peccata prauæ cupiditates, & appetitiones, ſemel nobis depoſitæ, non rurſum admittantur, ſed in noua uita ambulantes Dominum expectemus, ſiquidem neſcimus quando Dominus ſit uenturus. Hoc dictum quidam ad religioſorum præpoſterorum cœlibatum detorſerunt, quaſi Chriſtus Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus matrimonium prohibuerit, id quod (Diuo Paulo promulgante) doctrina dæmoniorum eſt.

Quid uocas lucernas ardentes habere?

Ardentes tedæ quibuſdam dicuntur exempla bonorum morum & operum. Alij hoc dicto probare conantur geſtationem cereorũ in publico, & accenſas

censas candelas in manu morientium tradendas, existimantes his operibus se satisfacere admonitioni Christi. Sed hæc absurda est opinio.

Quid uerò Christus his uerbis significat?

Vult hisce simplicibus similitudinibus, & ab officio & mercede fidelium seruorum ductis, Christianos, maximè autem uerbi ministros exhortatos, ut sua uocatione & officio diligenter & bona fide fungantur, donec ipse uenerit.

Discessit ne igitur Christus à sua Ecclesia?

Quanquam Christus, Matth. ultimo, dicit: Ecce ego uobiscum sum, usq; ad consummationem seculi, uisibiliter tamen ascendit ad cœlos, & tanquam ad nuptias aut celebre conuiuium profectus. Redit autem occultè & priuatim, cùm hominem ex hoc seculo ad futurum, per mortem uocat. Vel manifestè & publicè, cùm in nouissimo die uenturus est ad iudicandos uiuos & mortuos. Interea autem temporis erit nostrum, tanquam proborum seruorum, officium diligenter facere, & accinctis lumbis accensisq; tædis eius aduentum expectare.

Quis est fidelium seruorum habitus & ingenium?

Quando Dominus eorum in nuptijs, cœna, aut alioqui in conuiuio est, illi aduentum eius summa

uigilantia expectant, præcingunt sese tunica sua, & gestant ardentes tedas in manibus suis, ut si uenerit dominus in prima, secunda, aut tertia uigilia, & pulsauerit, confestim aperiant ei, & intromittant, suisq; tedis & lucernis eum præcedant & deducant.

Quæ fidelium seruorum merces futura?

Christus inquit: Beati serui illi, quos cùm uenerit Dominus, inuenerit uigilantes: Amen dico uobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si uenerit in secunda uigilia, & si in tertia uigilia uenerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.

Quid Christus hisce uult uerbis?

His uerbis uult ostendere, quàm fideles serui Dei præclaram mercedem, cùm in hoc seculo, tum in futuro consequemur. Notum enim est illud, quo modo Christus dilectis Apostolis & discipulis suis ministrauerit, cùm ante passionem suam in cœna nouissima ipsorum lauaret, & linteamine extergeret pedes. Et post resurrectionem quadraginta dies cum ipsis erat, & loquebatur illis de regno Dei.

Quid autem in futuro facit seculo?

Ibi tum uerè fiet, sicut Ioannes in Apocalypsi ait: Abstersurus Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, non esurient, neq; sitient amplius, nec cadet

det super illos sol, neq; aestus ullus, non erit moestitia, non ploratus, nec dolor amplius ullus, neq; ulla nox futura. Deus enim eos illuminabit, & regnabunt in secula seculorum. In summa, Deus fidelibus suis seruis daturus, non aurum, argentum, aut alioqui mundanam gloriam, sed daturus illis optimum, summum, ac praestantissimum omnium bonorum, nempe aeternam felicitatem. Et qui antea fuero serui, ij tum domini futuri, & unà cum suo Domino Christo non ad tempus, sed in aeternum regnaturi.

Quale Christus exemplum proponit de patrefamiliàs?

Sic inquit: Hoc autem scitote, Quoniam si paterfamilias sciret, qua hora fur ueniret, uigilaret utiq;, nec sineret perfodi domum suam. Et uos estote parati, quia qua hora uos non putatis, filius hominis ueniet. Comparat hic Christus suum aduentum consuetudini furum. Solent enim furibus est, tum maximè omnium alienam perfodere domum, cùm existimant homines in ea altissimum somnum ducere, ac securissimè stertere. Sic Christus eo potissimùm tempore uenturus est, cùm minimè omnium expectatus fuerit. Sic & Sanctus Paulus ait, 1. Thess. 5. Dies ille Domini ut fur in nocte, ita uenturus est. Cùm enim dixerint, pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, sicuti dolor partus mulieri praegnanti, nec effugiet.

Quia uerò nihil certius habemus, quàm Domini aduentum, uel in morte, uel nouißimo die, & nihil incertius est hora eius aduentus, debemus propter incertam horam, singulis diebus & horis parati esse, ne eius aduentu subitò & ex improuiso obruamur.

Quid discipuli ad hanc concionem dicunt?

Petrus interrumpit sermonem Christi, & ait ei: Domine, ad nos dicis hanc parabolã, an ad omnes? Apparet Petrum hoc uitio præ omnibus alijs Apostolis laborasse, quòd solicitus fuerit, ne ex uocatione & mandato Christi necesse habeat, plus quàm alij oneris & molestiarum ferre.

Profer exempla.

Cùm Christus illi ostenderet, Ioan. ultimo, quo genere mortis dissoluendus esset, statim prorumpens inquirebat in Ioannem, dicens: Quid autem hic? Nimirùm sentiebat iniquum esse, ut ipse obijciatur morti, Ioannes autem iucundam & securam uitam ducat. Sic & hoc loco existimabat nimium esse ab ipsis adeò discipulis in uocatione ipsorum seueriter requiri summam uigilantiam, alijs autem hominibus licere interim torpescere ignauia, & somno & genio indulgere. Interpellat igitur Christum, Domine, inquiens, ad nos hanc parabolam dicis, an ad omnes?

Quid respondit Christus Petro?

Marci 13. capite, ubi itidem discipulos ad uigilantiam adhortabatur, disertè tandem definit: Quæ dico uobis, omnibus dico, Vigilate. Sed hoc loco Petro, interpellanti ipsum, nihil omnino respondet, sed magna grauitate in sua concione cœpta pergit, dicens: Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus seruus ille, quem, cùm uenerit Dominus, inuenerit ita facientem. Verè dico uobis, super omnia quæ poßidet, constituet illum. Solennis in hoc seculo consuetudo est, ut paterfamiliàs, qui plures habuerit seruos, unum aliquem fideliorem & prudentiorem ex omnibus seligat, & constituat eum dispensatorem super reliquum famulitium, ut det illis opportuno tempore dimensum cibum. Et si is dispensator diligentem in suo nauarit operam, præficit tandem eum paterfamiliàs omnibus suis bonis. Exemplum habemus in Iosepho in Aegypto, & Dauide in aula regis Saulis.

At uterq;, & Ioseph et Dauid pessimam mercedem retulerunt, pro fideli sua opera: Ioseph enim in carcerem detrusus, Dauid in exilium expulsus fuit.

Tametsi & Ioseph & Dauid ipsa re compererunt, uerißimum esse quod uulgo dicitur: Officia

à dominis commendata non sunt hæreditaria, Dominorum gratia, & tempestas Aprilis, &c. Attamen Dominus Deus noster officiosam eorum sedulitatem intuitus, & utrunq; ad res maximas tandem euexit, Iosephum totius regionis Aegyptiacæ dominum constituens, & Dauidem Regem Israëlis creans. Si ergo Deus ob bene nauatam operam ciuilibus seruis munificus fuit, & egregia remuneratione cõpensauit, quamò illustrius in futuro seculo daturus? Non regnum terrenum & caducum, sed cœleste & æternum regnum tradet illis. Non super sordida huius seculi bona, sed super splendidißima bona cœlorum eos constituet, quæ non oculus uidit, non auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt. Sicut ipse quoque testatur, Matthæi 19. Amen dico uobis, quòd uos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israëlis. Et omnis qui reliquerit domum ac fratres propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sortietur hæreditatem. Et Lucæ 22. Vos estis qui mansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono uobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israël.

Qui infidelium seruorum mores & conditio?

Sicut inquit Christus: Quòd si dixerit seruus ille in corde suo, Moram facit Dominus meus uenire, & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere & bibere, & inebriari. Vulgò fertur: Occasio furem facit. Nimia indulgentia delicatos efficit pueros. Nulla ex re adeò istuc fit nisi ex nimio ocio. Fœdum adeò est ocium, famulos corrumpit inertes. Nequam & ignauus seruus uidet Dominum differre reditum suum, concipit securitatem, & cogitat secum, quid opus est me multam adhibere diligentiam in officio? Dominus non uidet, & cunctatur redire, interea autem temporis indulgebo genio, & curabo cuticulam meam. Deinde non solùm intermittit officium suum, uerumetiam totus ad intemperantiam uitæ uertitur, edit, bibit, belluatur, inebriatur, scortatur. Postremò grassatur etiam tyrannide in conseruos suos, pro sua libidine, opprimitq; eos sua crudelitate, nec modum aut finem suæ iniquitati & tyrannidi statuit.

Quid autem eiusmodi perfidis & fidefragis seruis euenire solet?

Sic inquit Dominus: Veniet Dominus serui illius, & in die qua non sperat, & hora qua nescit, & dissecabit eum, partemq; eius cum infidelibus

ponet. Matthæus inquit, cum Hypocritis. Solent in mundo proditores ac fidefragi in quatuor partes dissecari, & particulatim ad quatuor portarum ciuitatis, aut prouinciæ introitus suspendi. In hunc modum loquitur hic quoq; Christus. Cùm igitur ciuilis Magistratus tam crudeli perfidos & nequam seruos supplicio afficiat, quanto crudeliori Deus afficiet impios, & parum strenuos suos ministros, qui postquam Dominus suo aduentu cessat, in summa uiuunt securitate, suum officium negligunt, & aut concionantur impia, aut nihil concionantur, uiuunt ex eleemosynis in omni mundi luxu, fastu, & libidine, dant operam aleæ, uenationi, alijsq; uoluptatum generibus, exercent quoq; Tyrannidem in miseros Christianos, prohibentes eis uerbo Dei, & eripiunt eis Sacramenta, suáq; falsa doctrina & impia uita perdunt eorum & corpora & animas. Sed Deus non sic auferre sinet inultum.

Quid autem de illis seruis, qui ex ignorantia peccant?

Christus inquit: Ille seruus qui cognouit uoluntatem Domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum uoluntatem eius, uapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, uapulabit paucis. In hunc quoq; modum loquitur, Matthæi undecimo cap. Væ tibi Chorazin, uæ tibi Bethsaidan, quoniam si in urbe Tyri aut Sidonis

nis factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in sacco et cinere pœnituissent. Attamen dico uobis: Tyro & Sidoni tolerabilius erit in die iudicij, quàm uobis.

Quomodo hoc Euangelium Dominus concludit?

Sic inquit: Cuicunque multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Quanquam hoc Euangelium maximè omnium ad Apostolos, & eorum successores relatum, tamen ad omnes homines quoq;. cuiuscunque tandem ordinis, officij & conditionis fuerint, pertinet. Vnusquisque enim homo, siue Rector sit, aut Magistratus, pater aut materfamiliâs, Dominus aut seruus, Parentes aut liberi, uirgo aut mulier, famulus aut famula, diues aut pauper, senex aut iuuenis, quisq;, inquam, suum habet donum, officium, & uocationem à Domino, de qua rationem reddere Deo in nouißimo die tenetur, quomodo se in ea gesserit, cùm erga Deum, tum erga homines. Ibi tum eueniet, quod Sapientia prædicit: Potentes potenter tormenta patientur. Qui uerò suam uocationem ex fide sectati fuerint, & perseuerauerint usq; in finem, ij tanquam serui boni & fideles introibunt in gaudium Domini sui, in æternam uitam, Amen.

IN DIE S. CATHARINAE

Euangelium, Matthæi 25. cap.

IEsus narrabat Parabolam suis discipulis: Simile fiet regnum cœlorum decem uirginibus, quæ sumptis lampadibus suis, exierunt in occursum sponso. Quinque autem ex eis erãt fatuæ, & quinque prudentes. Quæ erant fatuæ, acceptis lampadibus suis non sumpserant oleum secum. Prudentes uerò sumpserant oleum in uasis, unà cum lampadibus. Tardante uerò sponso, dormitauerunt omnes, ac dormierunt. Porrò medio noctis clamor factus est: Ecce sponsus uenit, exite obuiam ei. Tunc resurrexerunt omnes uirgines illæ, & apparauerunt lampades suas. Fatuæ autem prudentibus dixerunt: Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguuntur. At responderunt prudentes, dicentes: Nequaquam, ne non sufficiat nobis & uobis, sed ite potius ad eos, qui uendunt, & emite uobisipsis. Porrò, dum irent emptum, uenit sponsus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, clausaq; est ianua. Postea uerò ueniunt & reliquæ uirgines, dicentes: Domine domine, aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico uobis, non noui uos. Vigilate itaq;, quia ne

scitis

scitis diem, neq; horam, in qua filius hominis ueniet.

ARGVMENTVM.

Excipiunt sponsum cum lampadis igne puellæ,
Altera pars oleo deficiente manet.

Qua de re hoc agit Euangelium?

Hoc Euangelium non dicit de impijs hominibus. Ij enim suum habent iudicium, sed de diuersis Christianis, de ueris & hypocriticis sanctis. Veri Christiani comparantur quinq; prudentibus uirginibus: Hypocritæ quinq; fatuis uirginibus. Ac ostendit qualis eorum hic in terris sit uitæ ratio, et quæ utrorumq; merces in futuro erit seculo.

Cur eos uirgines appellat?

Quòd Christo cœlesti sponso in baptismo crediti & desponsati sint, cuiusq; enim Christiani anima spiritualis est uirgo, & sponsa Dei, Christo per fidem desponsata. Quando Dei uerbum audit, & fideli corde excipit, tum à Spiritu sancto impregnatur, et salutare semen diuini uerbi frugiferam eam & fœtuosam efficit, ita ut spiritualis Mater Dei fiat. Quando uerò Pseudapostolus & doctor aduenit, & pijs animabus siliquas & paleas humanæ doctrinæ & mendacij offundit, et illæ excipiunt, t[illegible] corrumpuntur & uiolantur, fidemq; Chris[illegible]tam soluunt, & sic spiritualiter

adulteræ

adulteræ fiunt coram Deo. Humanæ enim doctrinæ adhærere nihil est aliud, quàm spiritualiter scortari, sicut 106. Psalm. inquit: Inquinati sunt operibus suis, fornicatiq; sunt in factis suis.

Cur decem uirgines nominat?

Quòd omnes Christiani debent in lege Dei & decem præceptis uersari, quemadmodum Christus ait, Matth. 19. Si uis in uitam ingredi, serua mandata. Deus uult iuxta Euangelion etiam Decem præcepta prædicari. Atq; hæ duæ doctrinæ ita cohærent, ut ubi una manet, altera quoq; maneat necesse est: & una pereunte, alteram quoque secum rapit.

Cur distribuit in quinque & quinque?

Quinarius numerus significat quinq; hominis sensus, in quibus tota hominis uita uersatur: in uisu, auditu, olfactu, gustu, & tactu. Per hos enim quinque sensus omnia bona, rursus etiam omnis iniquitas in cor hominis deuenit, tanquam per ostium & fenestram. Hieremiæ 9. Mors per fenestras nostras intrat.

Quæ sunt quinque prudentes uirgines?

Quæ suis quinq; sensibus cum prudentia & ratione utuntur ad Dei laudem, honorem, & gloriam, ad solatium & auxilium proximi, & temperant sibi à libidinoso aspectu, auditu, uerbis, & operibus.

peribus. Et *singulis horis paratæ sunt obuiam ire sponso suo Christo, ardentibus lampadibus suis.*

Quæ sunt fatuæ uirgines?

Quæ *quinq; suis sensibus, ratione & pruden-tia abutuntur, uiuuntq; ueluti feræ bestiæ, & ani-malia bruta, non attendunt uel quid loquantur, uel quid agant, quibúsue moribus & gestibus utan-tur, austeram, ferocem, immanem & barbaram uitam agunt, ac nemini non malo exemplo sunt, & offendiculo, præbentq; occasionem uarijs pecca-tis.* Ac *quanquam se parant ut occurrant sponso suis lampadibus, obliuiscuntur tamen olei secum ferendi.*

Quid sunt lampades?

L*ampades sunt bona opera, & uerè religiosa, ac euangelica uita, quam Christus exigit,* Matth. 5. *Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq; patrem uestrum, qui est in cœlis.* Et Luc. 12. *Sint lumbi uestri præ-cincti, & lucernæ accensæ, & uos similes homini-bus expectantibus* Dominum *suum quando reuer-tatur à nuptijs, ut cùm uenerit ac pulsauerit, con festim aperiant ei.*

Quid est oleum?

F*ides & fiducia in gratiam & misericordiam* Dei, & Domini *nostri* Iesu *Christi.* Q*uemadmo-dum enim lampas sine oleo non ardet, sine igni non lucet.* Ita *quoq; bona opera nihil prosunt, nisi ex ue*

ra

ra fide, & fiducia in Deum proficiscamur. Hinc est quod Hieremias dicit, cap. 5. Domini oculi ad fidem respiciunt.

Quid sunt uasa?

Corda & conscientiae hominum, in quibus fides conseruatur. Sicut S. Paulus inquit, 2. Cor. 4. Habemus autem thesaurum hunc (intelligite fidei & notitiae Dei) in testaceis uasculis, ut uirtutis eminentia sit Dei, & non ex nobis.

Quis est sponsus?

Iesus Christus filius Dei, de quo S. Paulus 2. Corinth. 11. Adiunxi uos uni uiro, ut uirginem castam exhiberetis Christo.

Quae est sponsa?

Sancta Ecclesia catholica. Vnaquaeq; enim uerè pia ac Christi fidelis anima Christo per fidem in Baptismo desponsata est, sicut Hoseas Propheta inquit, ca. 2. desponsabo te mihi in iustitia & in iudicio, in pietate & miserationibus, Imò in fide mihi desponsabo.

Num omnes uerae & legitimae sunt sponsae?

Sic solet euenire, quemadmodum S. Paulus ait: Metuo, ne qua fiat, ut quemadmodum serpens Euam decepit uersutia sua, ita corrumpantur sensus uestri à simplicitate, quae erat erga Christum. Sicut enim Satan Euae Dei praeceptum eleuabat, contemptum & despectum reddebat, & promittebat

tebat

lebat illi. si de uetito fructu uescerentur, fore ut Deæ fiat: quo pacto eam decepit: ita Diabolus hodie quoque primis hominibus Euangelium extenuat, despectum et contemptum reddit, adeò ut relinquant, et deficiant ab eo. Hinc fit adeò, ut sponsæ non omnes æquè paratæ in occursum prodeant. Et quædam quæ paratæ sunt ad cœlestes nuptias, intromittuntur, aliæ excluduntur.

Quænam intromittuntur?

Quinq; prudentes uirgines, habent enim sua uasa & lampades oleo paratas, quare accensæ ardent, & clarè lucent. Hi sunt germani Christiani, qui assiduò se exercent in recta & sana fide erga Deum, & germana fraterna charitate erga proximum suum, qua ratione & alijs sunt exemplo ad resipiscentiam. Hi sunt qui ad nuptias intromittuntur.

Quænam excluduntur?

Quinq; fatuæ uirgines: habent enim uacuas lampades, & uasa sine oleo, quare extinguuntur etiamcum maximè arderent & lucerent. Quid sunt lampades sine oleo, nisi opera sine fide facta? Et si maximè in specie illustria coram mundo [illegible] & preciosa uideantur, est tamen mera Hypocrisis. Quare hæ fatuæ uirgines omnes sunt Hypocritæ et præposteri sancti, qui multa cumulant opera, & fidem nihili faciunt, omnes scilicet peruertentes,

uertentes. Et ubi opera, fidei testimonia ederent, ibi opera longè præferunt fidei, quemadmodum ordinis Franciscani Monachi, suum Franciscum longè supra Christum extollunt: imò nullum opus charitatis & misericordiæ erga proximum faciunt, sed manent in sua commentitia & hypocritica superstitione, operibus & meritis, quæ coram Deo meræ sordes & fœtores sunt. Hi tanquam imparati excluduntur.

Quid est quod Christus dicit: Tardante sponso dormitauerunt omnes, ac dormierunt?

Scriptura de duplici somno loquitur: de corporali & spirituali somno.

Spiritualis somnus quis est?

Quando à fide ad propria & fictitia opera deficimus, à iustitia, quæ coram Deo ualet, ad humanam iustitiam, obliuiscimur Dei, & confidimus in creaturas, contemnimus salutaria consilia & suggestiones sancti spiritus, & sequimur carnem, & propria cogitata nostri cordis: relinquimus sacras literas, & humana sectamur somnia. Hunc spiritualem soporem, altißimum somnum oportuit obrepere uniuerso mundo, propter incredulitatem & ingratitudinem hominum. Omnes errores & seductiones ad summum gradum peruenire necesse fuit, donec nos Deus rursus per suam gratiam & misericordiam

sericordiam in media nocte, hoc est, in medijs tenebris & erroribus resonuit, & resuscitauit, per salvificam sacrosancti Euangelij uocem. Qui ergo uocem sponsi audiunt, & parati sunt suis lampadibus & oleo, intrabunt cum eo ad nuptias. Qui uerò ad alios homines inspiciunt, uoluntq; oleum mutuum accipere, per aliorum fidem saluari, ij audituri sunt: Non noui uos, discedite à me malefici omnes, qui operamini iniquitatem.

Quis est corporalis somnus?

Quando fatali morte dissoluimur, & ex hac uita migramus, id quod semel fieri necesse est, Hebræ. 9. Hæc momentanea uita ideò uocatur somnus, quòd omnes in nouißimo die resuscitabimur à mortuis, & apparebimus ante tribunal Christi.

Quid est medium noctis?

Nihil aliud, quàm hora mortis, aut nouißimus dies, quorum utraq; nobis ignota sunt. Nam sponsus uenturus est eo tempore, quo nos ignoramus, et minimè putamus.

Qualis clamor fiet?

Surgite mortui, & accedite iudicium. Ecce sponsus uenit, exite obuiam ei. Christus enim ait, Ioan. 5. Veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocem eius, & prodibunt. Et 1. Corint. 15. Canet tuba, & mortui resurgent &c. Et 1. Thess. 4. Ipse Dominus hortatu, & uoce Archange

li, ac tuba Dei *descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primùm, deinde nos qui uiuemus &c.* Hoc est *quod hîc dicit*: Tunc *surrexerunt omnes uirgines illæ, & apparauerunt lampades suas.* Omnes *mori necesse est, omnes quoq; resurgere oportet.*

An omnes quoq; pariter paratæ & ornatæ erant?

Non *sanè*: Fatuæ *enim dicebant prudentibus*: Date *nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguuntur: stultè scilicet egerunt, id quod euentus, stultorum magister, probabat.*

Quando id fiet?

In *hora mortis, & in nouissimo die, tum* Hypocritæ *uidebunt quomodo* Deus *erga eos affectus sit, tum libri conscientiarum aperientur, & uersabitur ob oculos uita ipsorum, tanquam in tabula depicta, ipsa conscientia eorum accusabit eos, tum lampades suas sine oleo inuenient.* Hoc *est, uidebunt omnia eorum studia & conatus, mera hypocritica fuisse opera, sine fide, sine charitate, sine patientia.* Quia *uerò consueuerunt hîc in terris ab alijs auxilium, & consolationem, indulgentiam, ueniam, nænias, & inferias expectare, mendicandi ingenium & illo tempore exuere aut negare non poterunt: dicturi igitur*: Date *nobis de oleo uestro, communicate nobis fidem uestram, & bona uestra opera.* Ac *nos quidem in*

sancta

ſancta ueſtra fraternitate, ſocietate, & ordine fuimus.

Quid illis prudentes reſpondebunt?

Sic dicent: Nequaquam, *ne non ſufficiat nobis & uobis: Sed ite potius ad eos qui uendunt, & emite uobis ipſis.* Hæc *ſcoptica eſt reſponſio. Quaſi dicerent:* Nunquam *uobis cordi fuit & curæ, ſponſum Chriſtum ſequi, eius uerbo fidem adhibere, & ex mandato eius informare mores. Quicquid à uobis factum, id omne ex humana profectũ eſt ratione, & nitebatur fundamento propriorum & commentitiorum operum, humaneq; merito. Omnem ſubſtantiam, pecunias, fortunas, opes, præſidia, & ſolatia impendiſtis intermortuis lignis, & lapidibus, Collegijs & Cœnobijs, pigris Paraſitis, fucis, & ulturcis uentribus, ocioſisq; hominib. alendis inſumpſiſtis. Vera & uiua Templa Dei, pauperes fame laborantes, ſitibundos & nudos Chriſtianos, miſeros & orbos parentibus pueros, uiduas & pupillos, inopes ueſtros parentes, & amicos deſertos & afflictos patiebamini, imò in fame, ſiti, æſtu, & algore pereundum eis fuit, quantũ in uobis erat ſitũ. Quicquid ſynceri & pij doctores Chriſti prædicabant, id tanquã uniuerſum hæreticũ damnabatis, quicquid uerò Hypocritici doctores dictitabãt, id omne pro Euãgelio habuiſtis. Ite nunc igitur ad eos, qui uendunt oleum et aures*

demulcent, & petite ab illis quicquid opus erit. Facite ut suis uanis & fucatis adsint, ac auxilium ferant, operibus. Videte an Christus sponsus sit accepturus, Ite saltem, hic nihil auxilij aut solatij uobis est reliquum, uix nobis sufficiunt quæ habemus. Erit eo tempore cuiq; sua fide ita certandum & dimicandum, ut sudor uel utranq; maxillam corripiat. Sic erit quemadmodum Sanctus Paulus inquit: Si iustus uix saluabitur, ubi impius comparebit?

Quomodo prudentibus euenit uirginibus?

Dum irent fatuæ emptum oleum, uenit sponsus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, clausaq; est ianua. Hæc itio spiritualis est, & fit in conscientia. Essenorum genus & Hypocritæ etiamnum existimant se ad cœlestes nuptias paraturos, hoc & illud agunt, se mouent ac quærunt undiq; auxilium, in multis admodum sunt soliciti & laboriosi. Sed interea temporis uenit sponsus, & occupat eos mors suo tempore, in nouißimo die. Qui uerò pij sunt corde, & bona utuntur erga Deum conscientia, ac sunt exornati recta & uera fide, charitate, spe, patientia &c. & uerbo Dei innitentes uita defunguntur, ij præsenti & erecto uultu coram Deo stabunt, & cum sponso intromittentur. Qui uerò uacuas lampades, oleum fœtidum & aqua mixtum habent, Pharisaicam & hypocriticam

sticam ducentes uitam, sine fide, dilectione, spe, &c. ij foris stabunt. Tum enim nullus fucus, prætextus aut hypocrisis proderit. Ianua ante eos claudetur.

Quid autem fatuis accidit uirginibus?

Postea uerò ueniunt tandem pulsantes & dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. Ah sancte Deus, quandiu illis pulsandum erit, & clamandum: sed nemo illis aperiet, nulla consolatio, nulla spes erit unquam eis in omne æuum. Ianua est clausa, quæ multos patuit annos. Qui differt ingredi, iustißimas dat pœnas cessationis. Sic erit iuxta illud: Multi uocati, pauci electi. In diluuio tantùm octo homines in arcam ingreßi, reliquis omnibus fuit pereundum. Sic hîc quoq; usuueniet. Multi nomen et titulum habebunt, ac si Christiani essent, sed pauci cum Christo ad cœlestes intrabunt nuptias, cæteri manebunt in tenebris exterioribus & sempiterna damnatione.

Quid respondet sponsus uirginibus?

Sic ait: Amen dico uobis, non noui uos. Christus cœlestis sponsus nouit suas sponsas, quæ ipsi per fidem desponsatæ sunt, eas intromittit, & magno excipit gaudio. Satanæ autem sponsas & spirituales adulteras, quæ cum doctrinis Dæmoniorum & humanis fantasijs scortatæ sunt, eas sinit foris sta-

re, & non uult agnoscere. Quemcunq; puduerit mei, ac meorum sermonum in generatione hac adultera, & peccatrice, pudebit illius & filium hominis coram patre suo cœlesti. Cuiq; daturus & numeraturus secundum opera sua, credentibus uitam æternam, impijs uerò æternum ignem.

Quomodo Christus concludit hoc Euangelium?

Sic inquit: Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam, in qua filius hominis ueniet. Hæc est seria & ardua admonitio ad omnes Christianos, quasi diceret: Quando nescitis qua hora uenturus sit Dominus, citò aut serò, mane aut uesperi, die aut noctu, in media nocte, aut sub gallicinium: Igitur uigilate. Sic uiuite ut coram iudice consistere queatis. Videte ut oleum habeatis in uestris lampadibus & uasis, hoc est, cor, & conscientiam rectam in fide erga Deum, pariter Christiana & pulcherrima uirtute exornati, externisq; officijs erga omnes certantes. Et respicite uos in Christum sponsum, eiusq; sacrosanctum uerbum apprehendite, ut quandocunque uenerit, uel in hora mortis, uel in nouißimo die, sitis parati cum eo intrare ad cœlestes nuptias, hoc est, ad sempiternam uitam, quod idem præstet nobis Deus, Amen.

IN DIE DEDICATIONIS

Templi. Euangelium, Lucæ decimo-nono Cap.

ET ingressus Iesus perambulabat Hiericho. Et ecce uir nomine Zachæus, atque is princeps erat publicanorum, & idem erat diues, & quærebat uidere Iesum quis esset, nec poterat præ turba, quòd statura pusillus esset. Et præcurrẽs ascendit in arborem Sycomorum, ut uideret eum, nam illac erat transiturus. Et cùm uenisset ad locum, suspiciens Iesus, uidit illum, dixitque ad eum: Zachæe, festinans descende, quia hodie domi tuæ oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Cumq; uiderent omnes, murmurabant, dicentes: quòd ingressus esset apud hominem peccatorem diuersaturus. Stans autem Zachæus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum: Hodie salus domui huic cõtigit, eò quòd & ipsa filia sit Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere & seruare quod perierat.

ARGVMENTVM.

Paruulus ascendit ficum Zachæus in altam,
Vt uideat Christum, qui tamen hospes adest.

IDEM EVANGELIVM
Carmine redditum.

INgressus uenit Christus Hierichuntis in oras,
Ecce uir illustri Zachæus nomine, fama,
Et peccatorum princeps, diuesq́;, potensq́;,
Gestijt hic Dominum spectare, quis esset, Iesum,
Sed sua præ turbis implere optata nequibat.
Corpore paruus erat, quare præcurrit in agros,
Et quod non habuit natura & corpore, supplet
Arboris ascensu. Quem cùm uidisset Iesus,
Heus Zachæe, inquit, celeri descendito passu,
Nanq; tuas hodie diuertar oportet in ædes.
Nec mora, festinus descendit, & excipit illum.
Hæc ubi uidissent Pharisæi, murmura miscent,
Quòd peccatoris sceleratas isset in ædes,
Stans autem Zachæus ait: Domine ecce bonorum
Dimidium miseris & egenis præsto meorum,
Si quem præterea lusi, cum fœnore reddam.
Christus ait: Domui huic facta est uirtusq; salusq;,
Filius Abrahami quòd sit quoq; factus, & hæres.
Venit enim supera Christus Saluator ab arce
In terram, ut quærat quæ perdita, quæq́; reducat.

Qua de re hoc agit Euangelium?

De

De publicano Zachæo, quomodo filius Abrahæ sit factus, atq; historia huius Euangelij est longè uulgatißima & decantatißima, adeò ut publico prouerbio iactetur, nullam esse templorum dedicationem, in qua Zachæus non præsto adsit. Nullum templum, nullum sacellum, nullum cœnobium tam exiguum & paruum, quin Zachæus quotannis in eis prædicaretur.

Quam ob rem id adeò fuit ordinatum?

Non temerè factum, Cùm ad dedicationes Templorum & Nundinas plurimi mortales conuenirent, quidam ueneris gratia, alij ad parandum uictum, uendendo et emendo &c. uisum est Veteribus hanc historiam proponere, quò haberetur apta concio, ex qua nemo non fructum & doctrinam capere posset. Quanquam hactenus fortasse parum utilitatis experti. Prædicatum enim est hoc Euangelium circiter mille quingentos annos, & quotannis sæpe, nec tamen ullus inuentus est, qui Zachæum imitatus fuisset, dimidium bonorum suorum dando pauperibus, & sicubi quem fefellisset, id quadruplum redderet. Deum immortalem, quis dimidium bonorum suorum pauperibus daret, cùm iam graue sit & molestum uel unum obolum, numum aut solidum in Gazophylacium mittere, egenis ciuibus, & uiduis ac pupillis, non aduenis, sed nostris amicis, & uicinis, ut deinde prospicia

tur & consulatur. Vbi igitur in minimo, in rebus fluxis ac fortunulis, tam iniqui & infideles sumus, qui poterit Deus tibi uera & æterna dare & impertire bona?

Quid hoc Euangelium nobis proponit?

Tria præcipuè: Primum, Quis hic Zachæus fuerit.

Secundò, quomodo per fidem sit iustificatus.

Tertiò, fructus ueræ pœnitentiæ.

Quomodo Zachæus describitur?

Sic inquit Lucas Euangelista: Ecce uir nomine Zachæus, atq; is erat princeps publicanorum, & idem erat diues.

Quid nomine Publicani uenit?

Cùm scriptura publicanum nominat, intellige nugiuendum, impostorem, periurum, expilatorem, exactorem, & pauperum oppressorem. Etsi enim publicani officium fuerit per se honestum, quemadmodum testatur concio Ioannis Baptistæ: uitio tamen personarum factum est, ut publicani apud Iudæos haberentur pro Sycophantis, Spermologis, manifestis fœneratoribus, & prædatoribus. Iam si simplex publicanus tam malè audit in scripturis, quis obsecro publicanorum princeps habeatur? Haud dubiè Architectus fraudis, Princeps fœneratorum, imò qui alios post se longè relinquat & sceleribus superet.

An

An poteſt id ex Euangelio probari?

Triplici in Euangelio teſtimonio probatur.

Primùm, turba murmurat, quòd Ieſus diuertiſſet ad hominem peccatorem: An hîc Ieſus eſt Propheta, & ſe uult perhibere probum ac honeſtum uirum, & cum eiuſmodi familiaritatem habet hominibus, publicanos ſibi ſocios adiungens?

Secundò, teſtatur & Chriſtus Zachæum fuiſſe deploratæ & perditæ uitæ. Sic enim concludit hoc Euangelium, filius hominis uenit quærere & ſeruare quod perierat.

Tertiò, ipſe de ſe teſtatur Zachæus, cùm ait: Si quem defraudaui, reddo illi quadruplum. Hîc ſanè ingenuè fatetur ſe fuiſſe impoſtorem & defraudatorem, hoc eſt furem. Furibus enim in lege præceptum fuerat reddere quadruplum id quod furto abſtuliſſent. Ita habemus nunc quis hic fuerit Zachæus, nempe princeps publicanorum inſignis, & præ alijs nobilitatus publicis ſceleribus, qui omnibus nimium imponendo, exigendo & decipiendo grauis, moleſtus, & iniurius fuerit.

Quomodo Zachæus ad iuſtitiam fidei peruenit?

Lucas inquit: Quærebat Ieſum uidere quis eſſet, nec poterat præ turba, quòd ſtatura puſillus eſſet.

esset. Et præcurrens ascendit in arborem Sycomorum, ut uideret eum, nam illàc erat transiturus. Hæc uerba declarant quomodo Zachæus affectus & perturbatus fuerit animo, proculdubio sua in conscientia sensit peccata grauißima, meditataq; fuere & salus & damnatio illi, nimirum se tot scelera & fraudes non semper coram Deo impunè laturum, sed ei aliquando, cùm minimè speret, in corpore & anima pœnas daturum. Quia uerò audit quendam obambulare, qui hominibus opem ferat, ægros sanitati restituat, peccata quoque remittat, quiq; hinc inde ab Hiericho iter habeat, primùm cupit Iesum uidere, eiusq; consolatione & consilio uti.

Quomodo se gerebat autem?

Cùm multa adesset turba circa Iesum, metuebat ne non Christum uidere posset, erat enim paruæ staturæ homo, præcurrebat igitur, & ascendit in arborem Sycomorum, ut uideret eum, illac enim transiturus.

Hæc sunt signa pulcherrimæ fidei.

Sanè quidem, ex hoc cursu & ascensu apparet ingentem ardorem & desiderium uidendi Christi in corde Zachæi fuisse. Non ignorabat sese hoc facto omnibus deridendum propinari. Quid hic homo insanus, impostor, & fœnerator insanit in arborem more adolescentis conscendens? sed nihil deterritus

territus hisce uel dictis, uel cogitatis hominum. Non hoc tantùm agens, ut solùm de facie uideret, sed aliud in Christo quærebat.

Quid autem quærebat in eo?

Audierat quàm se Christus facilem ac placidum daret peccatoribus resipiscentibus, & dociles præbentibus. Quia uerò in animo sensit se in periculoso statu & discrimine uersari, suasq; diuitias miris artibus pepererat & corraserat, est animus consolationem & consilium petere. Et si prius auro inhiauit, & diuitijs cumulandis operam dedit, suamq; salutem prostituit, ac uentis mandauit, iam uult uertere gradum, rebus malè partis renunciare, & iustitiæ studere.

Quo fuit animo & affectu præditus?

Sic uoluit in animo: O beatos homines, quibus datum cum Christo familiaritatem & societatem inire, uultumq; eius amicum uidere, ac uerbum eius salutare audire. O uos felices Iudæi, qui talem Meßiam & Saluatorem habetis, quo cum licet uobis uersari, stare, loqui, edere, & bibere. Me miserum hominem Ethnicum, non in animum inducam ipsum mecum locuturum, multò minus consuetudinem & conuictum mecum habiturum. Satis sit mihi oportet, oculis tantùm eum uidisse. Ecce tum Christus intuetur animum Zachæi, & plus illi largitur, quàm optare & petere ausit.

Quid

Quid Christus cum hoc agebat Zachæo?

Lucas inquit: Cùm uenisset Iesus ad locum, suspiciens uidit illum, dixitq; ad eum: Zachæe, festinans descende, quia hodie domi tuæ oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Hîc ostendit Euangelista quomodo se Christus erga eiusmodi homines, qui resipiscunt & in uiam redeunt, præstare soleat, nimirùm facilimè & humanißimè. Non enim hunc Zachæum solùm intuetur, sed & alloquitur, ac iubet eum descendere, dicens, se cogi apud ipsum manere.

Quid est intuitus ille Dei?

Non aliud, quàm signum quòd nobis placatus ac propitius uelit esse, & diuinam suam impertire gratiam, omnibus ipsi ex animo confidentibus. sic Deus Abraham in Chaldæa respexit, Lothum Sodomæ, Filios Israël in Aegypto, Matthæum ad telonium, Petrum in atrio Caiphæ, & Latronē in cruce. Talis aspectus Dei non simplex est uisus, penetrat enim carnem & sanguinem, medullā & ossa, animam & spiritum. Talem aspectum orat Dauid in Psalmis, quia nouit ineffabilem ei subesse gratiam & efficaciam. Quid felicius iam obtigisset Zachæo, quàm quòd ipsum Christū tam amicè, placidè & clementer respicit, suscipit, & propter eius resipiscentiam ad domum eius diuertitur?

Profectò

Profectò hoc plenum est conso-lationis exemplum.

Qui non huiusmodi magnificis exemplis gratiæ et misericordiæ Christi in religionem mouentur, et ad ueram pœnitentiam agendam, adamantina eos habere pectora necesse est. Zachæus enim exemplo est omnib. illis positus, qui à peccato abstinēt et abhorrent, suamq; uitam secundum Dei uerbum instituere satagunt. Non talis est peccator, qui suis delictis delectetur, & ex eis triumphet, aut de illis, sicut impudenter Epicurei et Luciani solent, glorietur. Quare qui in hoc casu cū imitantur, nō dubitent, quin Christus se illis tam placidum, facilem ac clementem itidem perhibiturus, atq; Zachæo se ostendit, et tam copiosam exhibiturus misericordiam, quàm Zachæo exhibuit. Nam manus Domini non est contracta, ut nō amplius porrigat auxiliū, Christus æquè adest et adiuuat quemadmodū olim, Heb. 13. Iesus Christus est heri et hodie, & idem in secula. Tantum consectator eum, & audi eius uerbum, auxilium ab ipso querens, quemadmodum hic Zacheus fecit. Id si feceris tanta diligentia, et sedulitate, quanta ille, non sit tibi dubium, quin suis te oculis benignis & blandissimis respiciet, & perinde gratiam peccati faciet, uelut hunc Zachæum in gratiam recepit.

Quid faciebat Zacheus ad uocationem Christi?

Festi-

Festinans descendit, & excepit illum gaudens. Ecce quandiu Zachæus in terris agebat, Christum uidere non poterat. Ascendit autem in arborem, ut uideat, tum Christus ipsum præuenit, & suspiciens uidit illum. Sed in arbore non uult relinquere, uerum descendat oportet, & Christum hospitio excipiat.

Quid hæc adeò nos docent?

Quandiu in turba uersamur, in mundi meditullio, cum prauo sodalitio, impuris cogitationibus, uerbis & factis, uidere non possumus. Christus inquit Matth. 5. Beati mundi corde, quoniam Deum uidebunt: necesse est ut turbam præcurramus, & in arborem conscendamus, pectora ad Deum attollamus, Christum ex arboris ligno suspensum intueamur, paßionem & mortem eius acerbißimam meditemur, & crucem diuinitus nobis impositam patienter, & gratiarum actione feramus, tum non diu abfuturus, uerùm nos clementer respiciet & quæret, cum patre quoque mansionem apud nos faciet, & corpus & animam nostram saluaturus.

Quos Zachæus fructus pœnitentiæ facit?

Stans dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Hi sunt ueri fructus pœnitentiæ & fidei. Ante hæc tempora existimabamus, si peccator peregrinaretur,

Missas

Missas audiret, candelam figeret, aut aliud quoddam opusculum faceret, probè eum pœnitemiam egisse. Sed hîc longè alia docetur pœnitentia, quæ sic habet: De bene partis rebus tuis da pauperibus, & malè quæsita bona restitue, quibus eripueris. Id facit hic Zachæus. Et uerborum eius sententia hæc est Domine, Prius quidem fur, fœnerator, deprædator, extortor pauperum fui: Ecce id nunc abstineo, & dimidium bonorum meorum do pauperibus. Scio enim me ex diuino mandato debere. Noui quòd plurimos in officio meo dolis, calumnijs, & imposturis fraudauerim, expilauerim, ad ossa totonderim usq;, illis quadruplum reddo, non simplum, non duplum, sed quadruplum.

Quid uidetur de hoc peccatore?

Hic peccator bonus uir factus est, & iam legitimos pœnitemiæ profert fructus. Siquidem priùs insignis fuit nebulo, & iniustus homo, at nunc agit ueram pœnitemiam, etiam iniussus dimidium suorum bonorum dans pauperibus, & quidem nemine cogente, ac longè aliter affectus est, quàm ille, de quo Matth. 19. ca. cui Christus dicebat: Vende quæ habes, & da pauperibus. Quo audito abijt tristis. Nos, proh dolor, ad eundem modum affecti sumus. Pœnitemiam quidem ageremus sanè, si missis audiendis, cereis accendendis, & his similibus operibus defunctum esset. Sed fraude & fœnore undiq; congesta bona restituere, & in egenos erogare

elcemosynas de honestis fortunis,id difficilimè ferit aures. At hoc omnino fieri necesse est,si est animus diuinam gratiam & fauorem consequi.

Quid Christus ad hæc ait opera?

In tantum pœnitentia Zachæi Christus delectatur,ut pleno eam ore commendet,& ait: Hodie salus huic domui contigit, eò quòd & ipsa filia sit Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere,& seruare,quod perierat. Ac profectò si hæc non pœnitentiæ opera legitima fuissent, sine dubio Christus eum increpasset,& alias ei uias mõstrasset, dixissetq;: Zachæe parce obsecro,superuacaneũ ipsum est,& inutile,te tua ita dilapidare bona. Ito potius Hierosolymam,& da illud Pontificibus in templo,missas & uigilias pro te celebrari curato,instituæ collegium,societatem,& nouam fraternitatem sacrificulorum. At huius nullam facit mentionem Christus.

An nos quoq; tenemur hoc Zachæi exemplum imitari?

Si hoc Zachæi exemplum minus sequemur,nos in nouissimo die est accusaturus,tanquam de nomine Christi gloriantes,nec ullum tamen Christianum opus facientes.

Pauperibus ne igitur nos quoq; debemus?

Date,inquit Christus, Elecmosynam de ijs, quæ nobis

nobis sunt, & ecce omnia munda erunt. Si ij in nouissimo die damnandi, qui honestè quæsita bona non ritè dispensarunt pauperibus esurientibus, sitientibus, nudis, &c. Matthæi 25. ubi fures, prædones, latrones, & fœneratores comparebunt? qui malo titulo & infamia, calumnijs, & dolis malis aliena ad se, tanquam Polypi, attrahunt bona, inuitis dominis scientes ac uolentes ea retinent, ij certißimè cum diuite epulone in inferno sepelientur. Si enim ueraciter dictum: Peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur, & Deus ipse hanc causam susceperit agendam, maximum erit periculum & grauißima aduersario mundo constituta, ac pauci saluabuntur: mundus enim uult esse iustus & honestus, & mergitur in peccatis infinitis, ut uel absorbeatur, refertus est adeò fœneratoribus, Cyminopristis, Sycophantis, & excogitatoribus malorum, bonorum extortoribus, qui tamen aliquo prætextu furantur, & interim uolunt honestißimi uideri.

Quæ est summa huius Euangelij?

Cùm Zachæus tanquam peccator Christum quæreret, exciperet, & eius uerbis fidem adhiberet, ex peccatore factus est iustus, & filius Abrahæ, idq; reipsa comprobat, se filium Dei factum. Hoc exemplum imitari debemus, si salus nobis nostra cordi est. Quicquid rapuisti, furatus, et prædatus

es, aut alioqui malo titulo, mendacijs, fraudibus, falsis mercibus, pondere, ulna, mensura, codicillis & sigillis, in leges & rem tuam confecisti, id debes restituere. Si feceris, bene tecum agetur, si minus, uæ tibi, habiturus es seuerum iudicem, qui te unà cum corpore & anima ad orcum deturbaturus. Non temerè dictum est à sancto Paulo: Qui furabatur, non amplius furetur. Sic fecit Zachæus, Quare ex homine perdito filius Dei factus est, per fidem iustificatus, & æternam uitam consecutus, Amen.

DE APOSTOLIS HOMILIA
ex Euangelio, Matthæi V. capitulo.

IEsus dixit discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal infatuatus fuerit, quo salietur? Ad nihil ualet ultrà, nisi ut proijciatur foràs, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest oppidum abscondi supra montem situm: neq; accendunt lucernam, & ponunt illam subter modium, sed super candelabrum: & lucet omnibus qui sunt in domo. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq; patrẽ uestrum, qui est in cœlis.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Discipulos terræq; salem, mundiq; lucernam,
Esse iubet Christus: legis & implet opus.

Quid Christus in hoc Euangelio docet?

Duo potißimùm: Primùm, Apostolos, & eorum successores, Episcopos, & Ecclesiastas, Sal terræ appellat, & lucem mundi, & oppidum supra montem situm. Vult eos in functione sallire & condire, & lucere, hoc est, docere & prædicare. Deinde eò doctrinam & conciones suas referant, ut hominibus & auditoribus solatio & commodo sint.

Quid Scriptura ait de sale?

Deus loquitur Mosi de oblatione filiorum Israel, Leuit. 2. Omne munus sacrificij tui condies sale, neq; facies cessare sal fœderis Dei tui ab oblatione tua, sed omni sacrificio tuo adhibebis sal. Et in Propheta Ezech. cap. 34. Sacerdotibus præcipitur, ut sal aspergant super holocausta, atq; sic Deo offerant in oblatione pro peccato. Per hoc condimentum ueteris Testamenti uult Deus significare, quid Sacerdotes noui Testamenti facere deberent, nempe, Legem & Euangelium prædicare. Primùm legem, uarias minas, plagas Dei, quæ peccatoribus irrogauit, ut corda hominum hoc pacto percellerent, & perterrefacerent, quò fame spiritus & siti

gratiæ laborantes, desiderio diuinæ clementiæ & misericordiæ afficerentur, crucem susciperent, humiliarent, & resipiscerent, Deinde per Euangelium rursus consolarentur, ut sic & corpora & animas suas præberent hostiam uiuentem, sanctam & acceptam Deo. Sicut Sanctus Paulus obtestatur & hortatur per miserationes Dei. Roma. 12.

Quid sal in scriptura dicitur?

Sal uocatur diuina sapientia, Euangelica doctrina & disciplina. Vnde Sanctus Paulus ad Coloss. 4. ait: Sermo uester semper cum gratia sit sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat uos unicuiq; respondere.

Quæ est salis natura?

Triplex eius uis: Natura est mordax & resoluit, purgat & conseruat rem, ut munda & recens maneat, ac non putrefiat. Sic scribit Paulus 2. Timoth. 3. Quòd omnis scriptura diuinitus inspirata utilis sit ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, ut integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus.

Quot in partes scriptura distribuitur?

In Legem & Euangelium: Lex ostendit peccatum, & perterrefacit conscientiam: Euangelium consolatur conscientias, & remittit peccata. Lex

mordet

mordet & resoluit, Euangelium purgat & conseruat cor mundum, alacre & sanum.

Cur Christus hac similitudine utitur?

Sicut caro & pisces putrefiunt & pereunt, nisi conditi sale fuerint: Ita quoq; homo ad omnia bona opera reprobus, nisi sale diuinæ condiatur sapientiæ, uera fide, & in salutari Dei uerbo eruditus.

Sed laboriosa res apprimè, terram hoc est, omnes homines sale condiri?

Admodum sanè laboriosa et molesta res est. Omnium hominum delicta, uitia et flagitia arguere, & nihil inde precij reportare, quàm labores & dolores, odium & inuidiam, contumeliam & persecutiones, ut quiuis concionator dicere posit: Cōdiat & prædicet ipse Satan meo loco, cùm nihil adeò inde emolumēti ad me redeat, præter molestiam & laborem, contemptum & sannas, &c. omne deniq; infortunium. Quid mihi adeò euenit, ut totius mundi odium & inuidiam, inimicitiasq; in me suscipiam? Deniq; mihi adeò nec seritur nec metitur, susq; deq; habebo. Et ego possum esse popularis, & homo plebeius, in meaq; pelle quiescere, ac ferre, ut alij condiant sale ac prædicent. Sicut & bellè nonnulli Episcopi, Collegiorum & ordinum sacerdotes fecerunt, se perbenignè à prædicandi

munere subduxerunt, & eius loco campanas baptizarunt, ligna, & lapides consecrarunt, in Collegijs & Templis indoctorum garritus, rugitus, & boatus instituerunt, ne scilicet ullius hominis odium conflarent sibi, non in discrimen de corpore uenirent, sed tantum delicatuli molliculique uentres, diaboli mancipia, & martyres essent, ac in futuro seculo æterna materia ignis & tartareæ flammæ.

Et mihi uidetur mundum ad hoc magnam præbere occasionem.

Sic est sanè: Etsi enim Deus pios & fideles operarios excitat, qui propter Dei uerbum omnia istiusmodi onera & molestias subeunt, ritè & cum παῤῥησίᾳ salliunt, uitia & peccata arguunt. Preterea sacras scripturas & diuinam ueritatem predicant, uix tamen frustum panis illis tribuitur & decernitur in sumptus. Id cùm uulgus uidet, subit eius animum: Egó ne filium meum ad predicandi munus educem, ut famem & ærumnas, persecutiones & exilium ferat pro precio, ac singulis horis de uita in periculum ueniat? Dij meliora meis, amentiam & hostibus illam. Malo ut artificium manuarium addiscat, mercator & negociator fiat, &c. Inde adeò uacuos paßim uidemus suggestus, & nemo optimo Christo in cruce ferenda uult adesse.

Cur

Cur igitur concionatores arguunt mundum, maximè uerò ex professo spirituales?

Quid obsecro faciant? Si sale condiendum est, necesse est eum mordere & aperire uulnera. Christus in mandatis dedit, & uoluit prorsus, ut sal esset acris & mordax, suumq; macerando officium faceret. Sic enim inquit Deus, Isa. 58 Clama ex gutture, ne parcas, quasi tuba exalta uocem, & annuncia populo meo iniquitatem suam, & domui Iacob peccatum suum. Et S. Paulus inquit, 2. Timoth. 4. Prædica sermonem, insta tempestiuè, argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina. Et Christus Ioan. 16. ait: Cùm spiritus sanctus uenerit, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, inquit, non de adulterio, furto, latrocinio, &c. Talia enim peccata magistratus ciuilis puniet: sed de peccato quod cõtra fidem, et Dei uerbũ est, ut sunt incredulitas, ingratitudo, falsa dogmata, mendacia, errores, seductiones, fanatici spiritus, sectæ, & aliæ id genus nugæ, & imposturæ. Contra hos uiolentos & uirulentos natrices, pestes & podagram, humanas doctrinas & uanas traditiones, utendum est acri & præsenti sale, & probè putribus & fœtidis uulneribus interendus, ut ea permacerentur & purgentur, ac saltem aliqua, si non omnia, curentur, cõseruentur, et à Satana æternaq; morte liberentur.

Quid autem si sal infatuatus fuerit, salsedinemq; amiserit, nec amplius momorderit?

Cæteræ res omnes etiamsi corrumpantur, uelu-ti uinum, ceruisia &c. ubi uapuerit, uertitur in acetum, & adhuc tamen aliquem usum habent, Sal autem si factus fuerit insipidus, in tantum nulli usui accommodatus est, ut ne in sterquilinium quidem proijciatur, Quò ubi deuenerit, lædit agrum aut hortum. Ac quemadmodum uitis infrugifera nulli rei præterquam igni idonea est: ita sal quoque infatuatus, nulli est usui accommodus, nisi ut in plateas effundatur, & pedibus conculcetur.

Vt audio, pigri & inertes Ecclesiæ proceres magno uersantur in periculo.

Ita sanè: Omnes segnes pastores, parochi, præsu les, qui populum nõ reprehendunt, sua ei peccata & uitia indicantes, suæ ipsum calamitatis & exitij non admonentes, sed frena laxantes, & suo eos genio indulgere patientes, ac prætereuntes silẽtio, quemadmodum muti canes, qui latrare nesciunt, ij in nouißimo die tristem adeò accipient literam, & audient horrendam sententiam: ipsorum populus eos accusabit, & dicet: Amande Domine, hic noster Episcopus, Parochus, Decanus & Præsul fuit, sed nunquam nos de ira Dei uitanda admonuit, nun

quam

quam nostra scelera & uitia carpsit, ueritatem nunquam aperuit. Et si tum maximè uoluerint se excusare, dicentes, Noluerunt nos audire: id nihil illis proderit: Christus enim respondebit: An nescitis me uobis mandasse, quòd sale condire & lapsus hominum exagitare debeatis, an non uerbum & mandatū meum pluris fecissetis, quàm omniū hominum fauorem, potentiam, & iram? Age, age, quia pro uestra libidine uixistis, et tantùm nō ocio & propria ignauia elanguistis, ætatem quoq; & tempus preciosißimum in uoluptatibus & delicijs mundi triuistis, hic Paradisum & cœlum habuistis, æquum est, ut nunc uicißim præter uoluntatem uestram ad rabidum & funestum Satanam rapiamini, & tartareum ignem pro precio feratis, unà cum omnibus qui uos audiuerunt & secuti sunt.

Hæc sanè horrenda & tremenda sententia.

Imò: Interea temporis quoq; parum dextrè succedet illis in terris. Effundentur enim ueluti sal insipidus, & uniuerso mundo erunt contemptui & ludibrio, sicut Propheta Malachias inquit, capite 2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, &c. Vos autem declinastis à uia, & fecistis multos impingere in lege, corrupistis fœdus Leui, dicit Dominus exercituum. Quare et ego dedi uos cōtemptos, & abiectos

coram

coram omni populo, eò quòd non custoditis uias meas. Ac ni fallor, hoc dictũ experientia iam comprobat esse uerum, quòd eiusmodi inutilia terræ pondera, Sophistæ, Somniatores, &c. in uniuerso mundo sunt fabula, & contemptui omnibus. Dictum illud Christi: Seruum inutilem eijcite in tenebras exteriores, itidem super illos ueniet, & in eis perficietur.

Cur Christus suos discipulos nominat lucem mundi?

Quòd mundum illuminent, & homines erudiant, inq; salutis & pacis uiam eos reducant.

Quo id medio?

Sacrosancto & saluifico Euangelio, quod illis mandauit, Marci ult. Euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Etenim sine hac luce mundus nihil aliud est, quàm meræ Cimeriæ tenebræ, ac cæcitas mera, Sodoma & Gomorrha, imò ipsissimus infernus ibi est. Si enim mundus aliud haberet lumen, quid Christo opus fuisset discipulos & Apostolos eligere, dicereq;: Vos estis lux mundi, ac mandatum dare eundi in uniuersum terrarum orbem prædicatum Euangelium?

Quod est boni ministri Christi officium?

Ministrum Christi decet præsenti animo & audacter condire sale, deinde etiam manifestè lucere,

re, lucernam super candelabrum, non subter modium, scamnum, aut lectum ponere, non in Mundi diuitijs, luxu, fastu, & uoluptatibus affluere, & contabescere. Rursus sedent ministri infideles (heu pietas) in Ecclesia, & habent omnes suggestus, Baptismum, & Sacramenta, omnia denique quae ad ministerium pertinent, in sua manu, sed non procurant, non funguntur officio. Interea temporis frumentum & farinam distribuunt populo pro precio, indulgent genio, gulae, somno, ocio, lusibus, nugis, ac uoluptatibus, non ualde soliciti de miseris animabus, quid illis fiat, & quod dolendum est, ex Pastoribus lupi sunt facti.

Quid ergo Christus his uult uerbis: Vos estis Sal terrae, Lux mundi?

Haec est eius sententia: Primum, concionatores eruditi & periti sint in lege & Euangelio, ut unicuique ipsos interroganti, sano & sobrio succurrant consilio, & rationem adeò reddant ex sacris scripturis. Deinde, ut suam doctrinam & experientiam, primum ad gloriam Dei, postea ad solatium & salutem proximi conferant, malos redarguant, & bonos consolentur, erroneos & lapsos rursus erigant. Tertiò, ut parati & armati sint liberè in publicum prodire, & coram toto mundo tanquam in excelso monte stare, unde uelut è specula, & interriti aspici & passim audiri queant, nihil silen-

tio

tio prætereant, aut inuoluant, sed quæcunq; ferenda ueniunt ferant, néue malis cedant, &c. Qui enim ordinauit eos, ut essent sal & lux, is haud dubiè suam ordinationem conseruaturus est, iuxta suam promissionem, Matth.10.

Quomodo Christus hoc Euangelium concludit?

Sic ait: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq; patrem uestrum, qui in cœlis est.

Quid Christus hisce uult uerbis?

Quandoquidem nullum officium in terris plus habet tentationum, quàm prædicandi munus, diligentißimè hortatur, ut quisq; suæ lucis usuram & curam agat, & habeat rationem, quasi dicat: In hoc totus incumbet mundus, & sedulò aget, ut uestram lucem tenebris inuoluat, & opprimat, sed fortes & uiros uos præbete, adeste animis contra eum. Si tantùm hoc effectum dederitis, ne in angulum detrudamini, aut uos proripiatis, & lucernam subter modium, mensam, scamnum, aut lectum recondatis: sed uestro officio liberaliter perfungamini, & ego præstabo, ut mundus uos superesse, & inoppressos sinat. Prædicate tantùm & docete sacrosanctum meum Euangelium, sicut uobis præcepi: exercete & tractate fidem, Deiq; uerbum: liberè & magno animo erudite inopes, miseros, & mœstos animis, afflictasq; conscientias, in uerè pijs, religiosis,

religiosis, & Euangelicis bonis operibus. Et comprobate uestram doctrinam & prædicationem honestis & elegantibus moribus bonis exemplis diuites estote erga omnes: tum nihil periculi erit uobis, fiximut ab illis incolumes & salui maneatis. Si corpus maximè occiderint, animam tamen perdere non possunt. Ego uobis os & sapientiam dabo, cui non poterunt resistere, aut contradicere omnes aduersarij uestri. Et si sic perseueraueritis, æternum mecum gauisuri in regno cœlorum in æterna uita, Amen.

DE MARTYRIBVS, HOMIlia, Lucæ 8. capi.

NEmo cùm lucernam accenderit, operit eam uase, aut super lectum ponit, sed super candelabrum ponit, ut intrantes uideant lumen. Non est enim occultum, quod non manifestum sit futurum: nec absconditum, quod non sit cognoscendum, & in propatulum uenturum: Videte ergo quomodo audiatis. Quisquis enim habet, dabitur illi, & quicunq; non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.

Quid hoc Euangelium nobis discendum proponit?

Tria

Tria potißimùm Primùm, Deum lumen accendisse in mundo, nempe Euangelium, ut luceat. Deinde, lumen Euangelij super candelabrum ponatur, ut luceat, omnia reuelet, & in apricum proferat. Tertiò, quomodo lætum Euangelij nuncium sit audiendum.

Quale Deus accendit lumen in Mundo?

Corporale & Spirituale accendit lumen. Quẽadmodum Deus uisibilem hunc mundum clarißimo & illustrißimo procurauit lumine natiuo, & iucundo Sole: ita quoq; Ecclesiæ prospexit salutari & lætifico lumine Euangelij. Et sicut in regno uisibilis huius Mundi, non alius expectandus est Sol, quàm is, qui ante quinq; millia annorum illustrauit radijs suis orbem terrarum: Ita in regno Dei, quod est Ecclesia, non est aliud Euangelium expectandum, quàm illud, quod iã per Apostolos ex mãdato Christi, in totum terrarum orbem sparsum, & à Christiana Apostolica Ecclesia receptum est.

Sed Sol nonnunquam tenebris & caligine inuoluitur.

Accidit nonnunquam, ut amabile lumen Solis nebulis ac nubibus ad tempus obscuretur. Ita quoque Euangelium aliquando per densas nubes Tyrannorum, & persecutionum, & per nebulas Hæresium, Fanaticorum, et Sectarum, doctrinas Dæmoniorum, & humanas traditiones obscuratum fuit, sed

neque

neq; Tyrãni, neq; Hæretici, neq; Fanatici ſpiritus, opprimere illud potuerunt. Eſt enim Euangelium potentia Dei, ad ſalutem omni credenti, & ædificatum eſt ſuper duram petram, aduerſus quam nec inferorum portæ ualebunt. Et ſi in uno loco opprimatur, in decem alijs rurſus oritur.

Qualis lux eſt Euangelium?

Euangelium eſt unica lux, qua ſola lucente in hoc tenebroſo mundo uidendum & ambulandum eſt. De qua luce inquit Chriſtus, Ioan. 3. Lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Et S. Petrus ait, 2. Petri 1. Et habemus firmiorem ſermonem propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obſcuro loco, rectè facitis, donec dies illuceſcat, & lucifer exoriatur in cordibus ueſtris. Quaſi dicat: Quamdiu in hoc caliginoſo uerſamur mundo, peropus habetis, ut ab ore & uerbo Dei pendeatis. Id enim ſola eſt lucerna, qua freti pertranſimus tenebras, teſtante Dauide Pſalmo 119. Verbum tuum lucerna eſt pedibus meis, & lux in uia mea.

Quid eſt mundus?

Mundus eſt regnum tenebrarum, & præterea omnium hominum ratio, arbitria, & placita, meræ ſunt tenebræ, cæcitas, & errores, ſi non hac luce Euangelij illuminentur. Hic opus eſt hac luce, poſt hanc uitam non opus habemus amplius, ſed de fa-

cie ad faciem ſpeculum ſanctæ Trinitatis uiſuri ſumus.

Quid cum hac luce faciendum?

Debet hoc lumen accendi, & ſuper candelabrum poni, ut Chriſtus loquitur: Nemo lucernam accendens operit eam uaſe, aut ſubter menſam, ſcabellum, aut lectum ponit, ſed ſupra candelabrum ponit, ut intrantes uideant lumen.

Quid Chriſtus his uult uerbis?

Vult omnes Status & Ordines admonitos, ut quiſq; in ſua uocatione hoc agat, quod ipſi à Deo mandatum eſt. Omnes enim Chriſtiani in Baptiſmo luminaria facti, et igne gratiaq; ſancti ſpiritus accenſi ſunt, ut luceant, non modò ut de titulo Chriſtiani nominis glorientur, & profiteantur ſe eſſe Chriſtianos, Euangelium audiant, & tamen nullũ opus Euangelicum faciant, ſed ut luceant, & omnibus hominibus ſua doctrina, & bonis exemplis documento & adminiculo ſint, Sicut Chriſtus Matt. 5. hortatur: Luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, & glorificent patrem ueſtrum, qui eſt in cœlis.

Quid ciuiles Magiſtratus in hoc caſu cogitent?

Recolant animo, quòd ſint lumina Reipub. & ſedeant ad gubernacula à Deo ordinati, ut in ſuo officio, uocatione & ordine luceant, uigilent, & pro ſuis ſubditis ſoliciti ſint, unicuiq; ius dicant cognita

gnita eius causa, sine respectu personæ, amicitiæ, inimicitiæ, donis, aut largitionibus, quod iustum fuerit dicant & defendant, Verbum Dei promoueant, de malis supplicium sumant, bonos uerò honore afficiant, & protegant, Viduas & pupillos tueantur, & miseros homines libenter & æquo animo audiant.

Quid Ecclesiæ proceres admoneantur?

In mentem eis ueniat, Quia Christi & Apostolorum uicem tenent (sicuti iactant) ut quemadmodum Christus & Apostoli, affecti sint, Christi & Apostolorum iussa capessant, & summa diligentia perficiant, Dei uerbum prædicent, Euangelium & diuinam ueritatem denuncient, Sacrosancta Sacramenta secundum Christi ordinationem administrent, tristia pectora & afflictas conscientias salubribus dictis Euangelij, & sacræ scripturæ consolentur.

Hæc salutaria forent consilia & cogitata, si expedirent.

Fieri non potest, ut floreat Christianismus, si nemo suum officium faciat, & quisq; curiosus in alterum inquirat, Quando Ecclesiastici Rempublicam & Ciuiles Magistratus uolunt Ecclesias regere, id quod, proh dolor, accidit.

Qui ponunt lucernam subter modium?

Qui Dei uerbum reticent, & prædicandi munus negligunt, adeò ne redditus decrescant illis, néue minuantur: qui longè diligentiores sunt in rationario concinnando, & legendo, quàm in Biblia, Veteri & Nouo testamento: Imò ne per totũ quidem annum pennam contaminant, nisi cùm agricolæ frumentum adferunt, ubi (Dedit) in margine assignant.

Qui lucernam subter mensam collocant?

Qui uerbum Dei tacent, ne aulica iura, aut aeliæ lautitiæ & delitiæ, prandia, & uespertinæ collationes, opima sacerdotia, salaria, & consortia, &c. deficiant, aut detrahantur.

Qui ponunt lucernam subter lectum?

Qui uerbum Dei dißimulant propter prophanas suas scortationes, & nefanda facinora, timentes, si Euangelium amplecteremur, ne cogamur propudia & scorta deserere, non amplius, ut assueti sunt, uicißim abuti scortis, permutareq; quemadmodum mangones.

Qui ponunt lucernam subter scamnum?

Qui dicunt: Si Euangelium admitto, mihi perpetuò in sacris literis legendum, sudandum & prædicandum est, nec licebit ocio amplius indulgere, & quemadmodum Saturni podex, scamnis, puluinaribus,

naribus, & grabbatis incubare, ac ſic Diabolo aſſum in uerubus quaſi uertere. Deus prohibeat, ne huic me adiungam Euangelio: malo eſſe hypocriticæ religionis ſectator, quicunq; tandem exitus ſit expectandus. Noui me non iri perditum. Si Deus me ſuſcipere noluerit, Diabolus me magno excipiet gaudio. Hæc proculdubio omnium impiorum, hæreticorum, Epicureorum, & Pſeudochriſtianorum cogitationes, uerba & collationes ſunt inter ſe. Illuminet eos Deus, Amen.

Quid eſt, quod dicit Chriſtus: Nihil eſt occultum quod non manifeſtetur?

Chriſtus ſuo uerbo duplicem uim attribuit. Primùm, quòd ſit lux in tenebris. Secundò, quòd reuelet omnia occulta cordis, omnia peccata & uitia, non ſolùm in nouiſsimo die, uerumetiam hîc in terris. Nam e[illegible]n perpetratam cædem occulere nequibat. Simil[illegible] David adulterium. Verum enim eſt uulgare & tritum uerbum: Nihil abſconditum tam profundè, neq; tam ſubtile filum ductum, quod non cognoſcatur, & in apricum ueniat. Dies omnia reuelat. Quicquid ſub terra eſt, in apricum proferet ætas. Imò qui ſua peccata & uitia hîc tegit & abſcondit, ei in futuro ſeculo coram omnibus angelis & diabolis, ob oculos ponentur. Qui uerò hîc confitentur, iis illic perpetuò tecta iacebunt, iuxta id ſi uel accedant Dei uerbo, uel

deficiant ab eo. Per contemptum enim, aut amorem Dei uerbi hîc aliquo modo cognoscere possumus, quis Christianus sit, nec ne, quis filius Dei, aut Satanæ sit. Ex illo uerbo Christi, Ioannis 8. Qui ex Deo est, uerbum Dei audit. In nouißimo autem die libri conscientiarum explicabumur, quisq; seipsum proditurus & iudicaturus, iuxta id quod crediderit, & fidem testatam fecerit, ac extrinsecus operibus charitatis & misericordiæ comprobauerit.

Quid est, quod Christus inquit: Videte quid audiatis, & quomodo audiatis?

Seria in his uerbis Christo res agitur. Quasi dicat: Futurum ut ingens sit uastitas & barbaries in Ecclesia, in locum dilectorum meorum Apostolorum & ministrorum, superbi & fastuosi Prælati, ignaui, somniculosi ambulones, comedones, parasiti, uentres, falsi doctores, & nuggeruli succedent, qui omnia peruertent, quæ diuina & sacra sunt: omnia proferent, quæ Diabolica & impia sunt. Ideò attendite, uestrum capeßite & expedite negotium, & prudenter res agite uestras: uidete, quid audiatis, an Dei uerbum, aut humanum sit. Videte quoq;, an diuina ueritas, aut Satanæ mendacium sit. Videte quoq;, quomodo audiatis, an bona fide & ex animo uobis prædicetur, an ex mera hypocrisi, & an uos quoq; pio & fideli excipia-

tis animo, an uerò pro more uetusto, & aliquo prætextu. Non hîc, profectò, de pomis aut pyris, nucibus aut pastillis luditur, sed agitur de salute corporis & animæ, de cœlo aut inferno, de æterna morte aut æterna uita consequenda. Qui hac causa cadit, is æternum & irrecuperabile amisit bonum. Qui uerò lucratur & uincit, is sempiternam uictoriam obtinet.

Quibus uerbis Christus hoc concludit Euangelium?

Sic inquit: Qui *enim habet, dabitur illi.* Et *quicunq; non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.*

Quid hisce Christus uult uerbis?

Est *hæc generalis sententia, & uulgo iactata, quam nos sic efferimus:* Habenti *panem, datur & offertur.* Ditioribus *plena manu & multum datur: pauperibus autem datur, ut mendici maneant: hi mores sunt huius seculi.* Ad *hunc modum loquitur quoq; Christus.* Q.d. Qui Dei *donis bonis muneribus ad eius honorem & gloriam, & ad proximi salutem & felicitatem fortunamq; utitur, ei eiusmodi bona dona, & quæ diuina benedictione contigerunt, auctißima cumulatißimaq; prodibunt.* Qui *uerò abutitur, ei in uniuersum eripientur, et inter manus euanescent, ne uel corporale, uel spirituale quicquam retineat.* In *summa, si meum uerbum fideliter prædicaturi, audituri, & excepturi,*

dabitur uobis Spiritus sanctus, qui in omnem uos ueritatem ducet, & uerum intellectum donabit, & unà omnem gratiam, salutem, & beatitudinem, condonationem peccatorum, & æternam uitam. Si uerò negligenter audiueritis, aut prædicaueritis, tum Spiritus sanctus uos deseret, & unà omnis gratia, salus & felicitas. Sic eueniet quoq; omnibus ijs, qui sunt uocati, & ad certum officium alligati, si eo diligenter funguntur, suamq; (ut aiunt) spartam ornant, tum maiora & ampliora illis dabuntur.

Da exempla.

Nónne ex seruo emptitio Ioseph factus est Dominus Aegypti? ex pastore Dauid rex Israëlis? ex captiuo Daniele Dominus super uniuersam Babyloniam & Persiam? Sic etiam Christus ait: Euge serue bone & fidelis, fuisti in paucis fidelis, ego te super multa constituam, intra in gaudium Domini tui, & fruere æterna uita, Amen.

DE CONFESSORIBVS, Homilia, Euangelium, Lucæ XIX.

HOmo quidam genere clarus, profectus est in regionem longinquam, ut acciperet sibi regnum, ac reuerteretur. Vocatis autem decem seruis suis,

is, dedit eis decem minas, & ait ad illos: Negotiamini donec ueniam. Ciues autem eius oderant eum, miseruntq; legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est ut rediret accepto regno: iussitq; uocari illos seruos ad se, quibus dederat pecuniam, ut sciret quantum quisq; negotiatus esset. Venit autem primus, dicens: Domine, mina tua decem minas acquisiuit. Et ait illi: Euge bone serue, quia in minimo fuisti fidelis, habeto potestatem super decem ciuitates. Et alter uenit, dicens: Domine, mina tua confecit quinq; minas. Et huic ait: Et tu præfectus esto quinque ciuitatibus. At alius uenit, dicens: Domine, ecce mina tua, quam habui repositam in sudario, timui enim te, quòd homo austerus sis, tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti. Dicit ei, De ore tuo te iudicabo serue male, sciebas quòd ego homo austerus sim, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui, & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego ueniens, cum usuris utiq; exegissem illam? Et astantibus dixit, Auferte ab illo minam, & date illi, qui decem minas habet. Et dixerunt

ei: Domine, habet decem minas. Dico enim uobis, quòd omni habenti dabitur: ab eo autem qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab illo,

ARGVMENTVM.

Creditur utendum seruis prægrande talentum,
Vt domino lucrum, dum redit ille, parent.

Hæc parabola Euangelij huius de qua re tractat?

Docet primùm, quomodo frugi paterfamilias prudenter res suas administret, ne ipsi damno, sed multò magis bono & emolumento sint. Deinde ostendit quoq; ingenium & mores fidelium & infidelium seruorum. Tertiò præmium quoq; bonorum & malignorum.

Quis hic est nobilis qui in longinquam regionem proficiscitur?

Hic clarus genere est Dominus *noster* Iesus *Christus, rex regum, &* Dominus *dominantium, qui per suam passionem & mortem, per suam resurrectionem & ascensionem in cœlum in longinquam regionem profectus est, ut cœleste & æternum acciperet regnum, quod longissimè & remotissimè ab terreno hoc regno dissitum: hoc enim regnum uisibile, illud inuisibile, hoc terrenum, illud cœleste, hoc momentaneum, illud æternum. Sic autem profectus est, non ut perpetuò absit, sed suo*

tempore

tempore reuertetur, ut ab omnibus suis seruis rationem exigat negotiationis, imò ut iudicet uiuos & mortuos. Ait enim Matthæi ultimo: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Et Matth. 18. Vbi duo uel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Quid hic clarus genere faciebat iam profecturus?

Vocatis decem seruis suis dedit eis decem minas, & ait ad illos: Negotiemini donec ueniam. Bonus paterfamiliàs administrationem & curam suorum non ignauiter in alios reijcit, sed cùm domi est præsens, ipse curam rei domesticæ & administrationem suscipit, iuxta uulgo iactatum prouerbium: Oculi Domini saginant equum: Pedes Domini fertilem faciunt agrum. Quòd si uerò suis rebus solus præesse nequit, aut ex uocatione & officio aliò proficiscendum ei erit peregrè, ibi tum uocat seruos suos, & demandat illis sua bona, ut negotientur cum illis, ea tamen lege, ne ex illis detrimentum, sed multò magis fructum & utilitatem capiat.

Ita ne fecit quoq; Christus?

Sic est. Posteaquam enim ad cœlos iter facturus, uocauit suos seruos dilectos Apostolos, deinde omnes Episcopos, rectores Ecclesiarum, & concionatores, mandauit illis summum suum thesaurum

rum ut dispensarent, & Euangelium in totum terrarum orbẽ diuulgarent, singulis singulas dedit minas, secundum suam mensurã. Quosdã dedit Apostolos, alios aũt Euãgelistas, alios uerò Prophetas, alios aũt pastores et doctores, alios quidẽ discipulos et auscultatores, et dixit eis: Negotiemini donec ueniam, meis rebus, & meam pecuniam date ad usuram, prædicate meum Euangelium, ut cùm rediero pecuniam illam cum fœnore & utilitate à uobis recipiam. Si legitimè & bona fide in uestra uocatione negotiemini, haud pœnitebit uos facti, sed amplissima præmia uos manent. Sin autem negligenter, fraudulenter & illegitimè negotiemini, uos & in corpore & anima pœnas daturi.

Cur bona sua distribuit inter omnes suos seruos?

Omnes nos, inquit Paulus, manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisq; ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonum, siue malum. Et Athanasius inquit in suo Symbolo: Ad Christi aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis proprijs rationem. Atq; nemo hominum in terris agit adeò infirmus, adeò tenuis fortunæ & exiguus, qui non à Deo gratuitum aliquod beneficium & donum acceperit, de quo ratio reddenda est ipsi, quomodo eo usus sit.

Qui sunt fideles serui?

Qui suam, quam nacti sunt, Spartam, diligenter ornant, officio commisso lubenter perfunguntur, in eo agunt & negotiantur, quæ decent ipsos, & rerum suarum interest: quicquid Deus ab illis requirit, id summa sedulitate effectum reddunt, ac seriò res suas & negotium agunt, noctesq; diesq;, imò ad singulas horas suum expectant Dominum, quando sit uenturus, semperq; ad reddendam rationem & prompti & parati sunt. Hi fideles ministri facilimè agent, & bene stabunt.

Qui sunt infideles serui?

Qui suæ uocationi, ordini & officio nequiter et oscitanter præsunt, non faciunt quæ decent eos, & ipsorum officium requirit, sed absente Domino suo beluinam agunt uitam, comessando, uorando, ingurgitando, dilapidando, prodigendo, et multorum autores peccatorum & flagitiorum, nihil non mali damniq; in domo dant: horum infidelium seruorum tristis erit euentus & exitus.

Quis infideliter agit in diuinis rebus?

Primùm, non rectè negotiantur in diuinis bonis, gratuitis beneficijs & donis, qui in superiori sunt ordine, ut qui cum imperio & magistratu sunt, qui sua potentia diuinitus illis data abutuntur, in tyrannidem eam conuertentes, persequuntur & profligant miseros Christianos, opprimunt uiduas & pupillos.

Secundò,

Secundò, qui in subditorum sunt ordine, ut qui artificia manuaria exercent, mercaturam faciunt, & negotia expediunt, siue sint ciues, siue rustici, & abutuntur eis, auarè precium statuentes, circumuenientes & defraudantes proximum suum, in pondere, mensura, ulna, literis & moneta, mercimonijs, & actionibus.

Tertiò, diuites & opulenti, qui pauperculis et miseris hominibus suas eleemosynas detrahunt, Magistratui debitum tributum ac uectigal, ministris Ecclesiæ uictum, & res necessarias ad uitam non reddunt.

Quartò, sapientes & prudentes, qui rudes & imperitos rerum, simplices & indoctos fastidiunt, fidele consilium suum, sapientiam & solertiam non in medium afferunt. Cum hisce omnibus Christus iudex seueram putabit & ponet rationem.

An adhuc in usu & foro uersatur hoc Euangelium?

Sanè quidem: Singularis enim plaga est in terris, neminem adeò sua sorte esse contentum: communis multitudo non bene consulit diuinam ordinationem, neq; in magistratibus, neq; in uerbis ministris, nihil horum ei placet. Etsi ipse Christus descēderet, & Cæsaris Papæq; munia obiret, non tamen homines cōtenti essent: hoc uulgi ingenium, & sors præsentium est magistratuum.

Da

Da exempla.

Samuel probatæ fidei erat Propheta Domini, *& plurima contulerat in Iudæos beneficia, attamen repudiabant eum, & regem sibi eligebant.* Dauid *erat spectatæ uirtutis rex in* Iuda, *& multi officij in suos, defendebat ac tuebatur eos ab hostibus eorum:* Nihilominus *reijciebant eum, & eligebant factiosum eius filium* Absolon. Salomon Regnum Iudæorum *in tantum dignitatis fastigium euexerat, ut non haberet simile in orbe terrarum, tamq; magnificũ extruxerat templum, ac præstantissimum instituerat cultum, ut in toto mundo nihil tale uel inter omnia mirabilia extaret: attamen post obitum ipsius filius eius* Roboam *reijciebatur, & eligebatur in* Regem *aduena seruus* Ieroboam. *Ita faciunt hi quoq; ciues, de quibus hoc dicit* Euangelium, *fastidium dominum suum, odium in eum concipiunt, & legationem post illum mittunt, dicentes:* Nolumus *hunc regnare super nos.* Sic *faciebant* Iudæi *quoque* Christo, *cùm coram* Pilato *starent, et ille ad eos diceret:* Num *regem uestrũ crucifigam? omnes uno ore clamabant:* Regem *non habemus nisi* Cæsarem, *tolle, crucifige, &* Barrabam *nobis dimitte.* Ita *faciunt quoque hodierno die* Iudæi, Turcæ, Gentes, *quando* Christianos *persequuntur, in exilium agunt, affligunt, & occidunt.* Non *secus facit cum suis asseclis, & tyrannis* Antichristus, *quando* Dei *uerbum*

calumniant

calumniantur, Euangelium prædicari uetant, eijciunt Concionatores, auditores obtorto trahunt collo, & trucidant. Quid hoc aliud est, quàm si dicerent: Nolumus te Christum nobis dominari, & super nos regnare, nullam tibi iurisdictionem concedimus. Satanas & omnes ex barathro cacodæmones illorum gubernatores & fautores sunt, qui mox futurus, & iam quidem suarum rerum satagit, totus in hoc occupatus est. Deus det illis mentem meliorem.

Quid Christus, ubi reuertetur, faciet?

Sic ait Matthæi 25. Cùm uenerit filius hominis in gloria sua, & omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos alteros ab alteris, sicut pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Quatuor genera hominum coram Christo sunt apparitura, quæ in hac parabola notata sunt, nempe tres serui, & immorigeri ciues.

Quid primo dicturus seruo?

Ad primum seruum, qui una mina decem alias lucratus fuerat, dicturus: Euge bone serue, quia in minimo fuisti fidelis, habeto potestatem super decem ciuitates. Hîc adumbrat eorum hominum ordinem,

ordinem,qui donis suis in summo fidei & charitatis gradu (quantum quidem in hac mortali carne possibile est) usi sunt, ad Dei honorem, & proximi ædificationem et utilitatem. In hoc ordine comprehenduntur Moses, & Paulus, qui maluerunt deleri è libro uiuentium, quàm uidere sui populi (Iudæorum) interitum. Tales erant quoq; Prophetæ, Apostoli, & Martyres, qui in sua uocatione & de corpore & uita in discrimen uenerunt, doctrinamq; suam & prædicationem suo sanguine obsignarunt.

Quid secundo seruo dicturus?

Ad secundum seruum, qui una mina quinq; minas acquisierat, dicturus est: Euge serue bone & fidelis, & tu præfectus esto quinq; ciuitatibus. Hîc significat omnes probos Christianos, qui in syncera fide et germana charitate suũ faciunt officium, & irreprehensibilem ducunt uitam, omnibus bonum præbentes exemplum. Tales fuerunt in Domino dilecti prisci Episcopi, Ambrosius, Augustinus, Basilius, Cyrillus, Eusebius, Hilarius, Martinus, Nicolaus, Tertullianus, &c. & hac ætate omnes pij & fideles ministri Euangelij.

Quid dicet ad tertium seruum?

Tertius seruus, qui suam minam in sudario, aut loculo desidiæ reposuerat, diram & tristem

audiret sententiam. Christus enim ei dicet: Serue male, sciebas quòd ego homo austerus sim, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui, & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego ueniens, cum usura utiq; exegissem illam? Hic adumbrat tertium ordinem hominum, qui est Hypocritarum, genus Essenorum, & pseudochristianorum, qui suam uocationem neglectui habent, & deserunt ordinem, aliud agentes, quàm à Deo mandatum est ipsis: Verè bona opera diuinitus precepta omittentes, & uitam in fictitijs, uanis, & inanibus Hypocriticis operibus transigentes. Tales sunt oẽs Hypocritæ & sinistri Christiani. Priores duo serui honorificè primùm uerbis commendantur, deinde etiam amplißimis præmijs afficiuntur. Nam præpotentes præfecti constituuntur super prouincias & homines, consequuntur preterea domini fauorem, & misericordiam. Infidelis autẽ seruus uerbis asperis increpatur, & ab eo quicquid habet aufertur, alijsq; traditur, ut nihil retineat, nihil quoq; præter iram & inclementiam reportet.

Quomodo concludit Christus hanc parabolam?

Sic ait: Omni habenti dabitur: ab eo autem qui non habet, etiam quod habet, auferetur.

Prome exempla.

David habebat fidem & fiduciam in Deum, & honestam

honestam ducebat uitam, Saul neq; fide neq; multis præclaris officijs exornatus erat, quare Dauidi regnum Israël tradebatur, & à Saule auferebatur. Sic quoq; factum cum Mardochæo & Amano. Similiter cum Matthia & Iuda. Sic quoq; in nouissimo die Hypocritis & iustitiarijs obtinget, qui sibi plurima & magnifica de suis meritis & operibus persuadent, quòd non solùm sibi, sed toti mundo sint profutura. Sed quia uera & liberali in Deum fide ac fiducia carent, neq; Euangelicam uitam ducunt ex fide, ipsorum opera pelliceis fulciuntur manicis, & neq; ipsis, neq; alijs sunt profutura Et perinde eueniet illis, quemadmodum quinq; fatuis uirginibus, quæ ubi iam cum sponso ad nuptias intrare deberent, lampades earum extinctæ sunt, & propterea post festum (quod aiunt) uenerunt, Matthæi 25.

Quid sunt autem inobedientes ciues?

Hi ciues, qui oderant dominum suum, & nolebant eum regnare super se, sunt omnes contemptores & persecutores Christi, & suæ Ecclesiæ. In ueteri Testamento Iudæi erant, cum suis tyrannicis Regibus, Pontificibus, Pharisæis, Sadducæis, & Scribis, qui Prophetas occiderunt, Christum crucifixerunt, Stephanum lapidauerunt, Apostolos profligauerunt, &c. In nouo Testamento sunt Iudæi, Turcæ, Gentes, falsi Christiani,

Hypocritæ, iustitiarij, &c. qui Dei uerbum contemnunt, criminantur, ludibrio & contumelia afficiunt, Euangelium interdicunt, ueritatem persequuntur, Concionatores eijciunt, miseros Christianos uexant, & trucidant. Hosce ad se uocabit, affligendos & trucidandos dabit, denuq; sententiam in eos pronunciabit: Ite maledicti in ignem æternum, &c. Ad fideles autem seruos suos dicet: Venite benedicti patris mei, possidete Regnum paratum uobis ab exordio mundi, gaudete mecum, & cum omnibus Angelis in æternum, Amen.

DE VIRGINIBVS,

Homilia, Matthæi 11.

IEsus dixit discipulis suis: Regnum cœlorum simile est thesauro absconso in agro, quem repertum homo abscondidit, & præ gaudio, quod habet super eo, abit, & omnia quæcunq; habet, uendit, ac mercatur agrum illum. Rursum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti pulchras margaritas: qui cùm inuenerit preciosam margaritam, abiens uendidit omnia quæ posidebat, & mercatus est illam. Rursum, simile est regnum cœlorum uerriculo iacto in mare, & ex omni genere contrahenti, quod

cùm

cùm impletum fuisset, subduxerunt in littus, & sedentes collegerunt quæ bona sunt, in uasa, quæ uerò mala, foràs abiecerunt. Sic futurum est in consummatione seculi, uenient Angeli, & segregabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: illic erit ploratus & stridor dentium. Dicit illis Iesus: Intellexistis hæc omnia? Dicunt illi: Etiam Domine. At ille dixit illis: Propterea omnis Scriba doctus ad regnum cœlorum, similis est homini patrifamiliàs, qui depromit è thesauro suo noua & uetera.

Quid Euangelium hoc nobis proponit?

Tres parabolas: Prima est de absconso thesauro in agro. Secunda, de preciosis margaritis. Tertia, de uerriculo iacto in mare, & ex omni genere pisces contrahenti.

Quomodo prima habet parabola?

Sic inquit Christus: Simile est regnum cœlorum thesauro absconso in agro: quem repertum homo abscondidit, et præ gaudio quod habet super eo, abit, & omnia quæcunq; habet, uendit, ac mercatur a rum illum.

Quomodo secunda parabola sonat?

Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti pulchras margaritas: qui cum inuenerit unam preciosam margaritam, abiens, uendidit omnia, quæ poßidebat, & mercatus est illam.

Tertia parabola quomodo habet?

Simile est regnum cœlorum uerriculo iacto in mare, ex omni genere contrahenti, quod cùm impletum fuisset, subduxerunt in littus, & sedentes collegerunt quæ bona sunt, in uasa: quæ uerò mala, forás abiecerunt.

Quid nos Christus in hac parabola uult docere?

In prioribus duabus nos uult docere: Si animus est Euangelium adipisci, quod per hunc thesaurum & margaritas adumbratum est, non somno aut ocio erit indulgendum, sed toto pectore & pleno desiderio gaudioq; excipiamus. Enimuerò nihil hic est loci segnitiæ, neq; socordiæ.

In tertia parabola uult nos docere, Si cupimus reti Euangelij capi, non subsidendum nobis ad ima, nec in sordes nos proripiamus, sed ad alta uehamur, ac capturæ exponamur.

An necesse est adeò laborare, uigilare, & sudare?

Sanè quidem: Videmus enim si quis absconsum inueniat thesaurum, summoperè ei quærendum esse. Si quis rem faciat, & opes corradat, is intentus sit labori oportet. Si quis diues mercator aut negotiator futurus, nullum laborem oportet fugiat.

Impiger extremos currat mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugat, per saxa, per ignē,
Horreat haud ullam tempestatem, neq; uentos
Expectet sibi propicios, mutatio nulla
Impediat cœli, pluuiæq;, niuesúe, procellæ.

Ita quoque si quis uelit in aliquo numero piscatorum esse, in aquam descendat oportet, molestiam & laborem sustineat, & ad omnia negotia impiger sit. Nec minus spiritualiter, si quis diuini uerbi & Euangelij uult esse capax, ac inde salutem, utilitatem & felicitatem parare, profectò animum applicet, accedat, quærat, & audiat necesse est. Sicut Paulus ait ad Romanos decimo: Fides per auditum concionis, prædicatio uerò per uerbum Dei.

Profer exempla rem sic habere.

Ecce Mercatores & institores nullum periculum uitæ, nullam tempestatem, non niues, non pluuias, non æstus, non frigora à suscepto itinere & negotiatione se patiuntur absterrere. Ita Christiani est, ut nullum gaudium, nec uoluptatem,

nullum honorem, nec opes, nullum fauorem, nec amorem, nullam amicitiam, neq; inimicitiam, nullam aduersitatem, nec persecutionem, se à Dei uerbo absterrere sinat, ut cum S. Paulo gloriari poßimus, & dicere, Roma. 8. Quis nos separabit à charitate Dei? Certus sum enim, quòd neq; mors, neq; uita, neq; angeli, &c. poterint nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Obserua quoq; collectores margaritarum, nullo neq; labore neq; molestia grauantur, quin in littore maris sedeant, omnesq; conchas repertas frangant. Sic neq; nos Christianos pœniteat omnia dicta scripturæ explicare, & calamo triuisse labellum. Sicut Christus inquit, Ioan. 5. Scrutamini scripturas. Et Thessalonicenses cõmendantur, Act. 17. q. quotidie scripturas scrutarẽtur. Sicut ergo mercatores, negotiatores, collectores unionum, post exhaustum laborem, & deuoratam molestiam, merces, thesaurum, & mercimonia diligentißimè curant, rudibus pannis inuoluentes, & in uasis recondentes, omnes uias regias tutas reddunt, soluunt pro conductu, uectigalia, tributa, magnosq; sumptus faciunt, & curas impendunt, ne saltem in periculum incidant, sed ut bona, & res partas saluas & integras domum perferant.

Sic nos quoq; Christi cultores debemus agere. Vbi diuino freti auxilio & gratia, cœlestem hunc thesaurum Euangelij adepti, & in diuino uerbo

erudiii

eruditi fuerimus, tum omnem mouebimus lapidem, ut eum diligenter custodiamus, & curemus. Sunt enim plurimi latrones & grassatores circa regiam uiam, qui nobis clàm & palàm insidiantur, ut preciosum thesaurum, quem imbecillibus & terrenis uasis gestamus, nobis eripiant & auferant.

Qui sunt eiusmodi Latrones & prædones?

Primùm, Satan ipse cum sua societate, Princeps mundi, qui in tenebroso dominatur aëre sub cœlo, deinde eius Apostoli, Pseudodidascali & somniatores, hæretici, fanatici spiritus, & Sectarij, præterea mundus unà cum suis Tyrannis, Iudæis, Turcis, Gentibus, Pseudochristianis, deniq; etiam propria caro nostra, quæ nos cõiunctis copijs noctesq; diesq; solicitant ad defectionem, & tentant, nullis datis inducijs, ut Christus meritò nos exhortetur, dicens: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.

Quid est reconditus thesaurus?

Absconsus thesaurus est diuinum Verbum, sacrosanctum & saluificum Euangelium, quod gratiam & iustitiam nobis adfert, citra ullum nostrum meritum. Eum ubi thesaurum repertum habemus, gaudio afficimur solido, hoc est, lætam & tranquillam consequimur conscientiam, id quod nullis operibus quisquam efficere poterit.

Cur Euangelium thesaurus dicitur?

Euangelium tam preciosus & quæstuosus est thesaurus, ut si totius mundi opes in unum aceruum congestæ essent, imò montes & ualles merum aurum aut obrizum essent, tamen uel infiniti mundi non unum uerbum Dei redimerent, aut persoluerent. Dei enim uerbum est fons, qui exhauriri nequit, imò quò plus inde hauriatur, hòc largius se effundit, & effluit: quò frequentius & diligentius Dei uerbum prædicatur, hòc abundantiorem copiam suppeditat.

Deus ipse est uerbum, & per uerbum cœlum, terra, & omnes creaturæ sunt conditæ, omnia uerbo geruntur, & conseruantur. Et si hoc thesauro Dei uerbi destituti essemus, hic mundus nihil aliud esset, quàm mera Sodoma: Sicut & Isaias Propheta 1. cap. ait.

Cur Euangelium absconsus dicitur thesaurus?

Ob eam causam, quòd mundo & carnalibus cordibus diu absconsum fuit, sed iam his extremis temporibus paruulis & simplicibus per Christum prædicatum aut reuelatum est, qui & omnibus, quæ in mundo illis sunt, renunciant et ualedicunt. Qui enim hunc thesaurum adeptus fuerit, Dei uerbum audierit, & credenti corde exceperit, is adeò

perfundetur

perfundetur gaudio, in spiritu & animo, ut exuberet cœlesti & uehementi amore erga Deum & omnes homines. Et si suauitatem huiusce thesauri semel gustauerit, nihil tam præclarum, tam carũ, tamq; preciosum in terris erit, quod homo uerbo commutaret, aut quod ipsum à Verbo auocaret & remoraretur.

Quid est preciosa margarita?

Preciosa margarita est quoq; Dei uerbum, & syncerum purumq; Euangelium; sicut Dauid inquit, Psal. 19.

Lex Domini immaculata animas refrigerat ægras,
Indoctorum animos erudit, atq; polit.
Aequa Dei mandata animos & corda serenant,
Illustrant oculos lucida iussa Dei.
Nil nisi quod uerum est, decernit, & omnia iusti
Iudicis officio, quæ facit ipsa, facit.
Verba Dei meliora auro, melioraq; gemmis,
Et uincunt gustu dulcia mella suo.

Et Psalm. 119.

Plus auro & gemmis tua sunt mihi fœdera cordi,
Plus etiam obrizo tempore quoq; meo.

Quomodo inuenimus hanc margaritam?

In uerbo (quærenti) diligens & sedula inquisitio nobis commendatur: sine inuestigatione nihil consequemur. Quemadmodum enim mercatores in

in nullo sibi parcunt, sed peruagantur maria & terras, per fluctus & procellas, per Piratas & Latrones, ut sua bona salua & integra domum perferant: ita nobis Christum profitentibus nihil tam iucundum aut acerbum sit in hoc mundo, quo nos ab Euangelio & Verbo deterreri patiamur.

Quomodo autem inuenimus has margaritas?

Cùm Dei uerbum attentè & ex animo audimus, fideliq; corde excipimus, uitamq; & mores iuxta illud formamus & fingimus. Sic enim inquit Iesus Syrach, cap. 29. Collige tibi thesaurum secundum præceptum altißimi, qui tibi plus profuturus, quàm ullum aurum.

Quam hic repertus thesaurus & margarita utilitatem adfert?

Primùm, nostros illuminant oculos, ut benignā Dei uoluntatem agnoscamus, & in caliginoso mundo errare non sit opus. Sicut Psalm. 119. ait: Verbum tuum est lucerna pedibus meis. Et S. Petrus ait: Dei uerbum lux est in obscuro loco.

Secundò cor nostrum confortant, & tranquillam reddunt conscientiam, adeò ut parati & uoluntarij simus ad ferendum & tolerandum quicquid Deus imponit, & procliues ad commutandum momentaneas, & caducas hasce res cum cœlestibus & æternis bonis. Vt Zachæus faciebat,

Luca

Lucæ 19. Et uidua, Lucæ 21. Et latro in cruce, Lucæ 23.

Quid est uerriculum in mare iactum?

Verriculum illud itidem est uerbum Dei, sacrosanctum Euangelium, quo nos trahendi sumus, si uolumus ad littus cœlestis patriæ appellere. Hic agimus in peruerso mundo, plurimis septi periculis, & perinde, ac si quis mare nauiget, iactatur huc atq; illuc, incertis uentis & tempestatibus uela mandans, ei plurima monstra, scopuli, & pericula sunt subeunda, propter Archipiratas, Syrenes, & monstra marina, nimbos & niues, uentos & tempestates, procellas & Syrtes, uersaturq; inter Scyllam & Charybdim. Ita quoq; hic in terris agimus uarios hostes, scopulos, & aduersarios experimur, neq; ulla unquam est pax aut securitas. Sed Dominus noster Iesus Christus suauißima nos demulcet consolatione, Ioan. 16. dicens: In mundo habituri pressuram & afflictionem, in me uerò pacem. Sed bono animo sitis, ego uici mundum.

Cur Christus Euangelium uerriculum, & doctores piscatores nominat?

Quemadmodum piscator rete in mare mittit, & à profundo trahit omnis generis pisces ad littus, & quidam inter eos sunt putridi & inutiles, quos

quos tamen non prius abijciunt, quàm rete ad littus tractum fuerit. Sic quoque solet euenire Euangelio. Concionator iacit rete in turbidum mare huius mundi, prædicans Dei uerbum, quo uarios quidem homines trahit ex imo fundo, & limoso luaco uitiorum & peccatorum, imò ex incredulitate ad agnitionem Christi, ad beatam uitam & resipiscentiam. Et si qui immixti sunt, qui uerbum Dei tantùm pro prætextu accipiunt, & non seriò credunt, parumq; afficiuntur uerbo Dei, ij in nouißimo primùm die segregantur, sicut Christus ait, Matth. 25. cap.

Quomodo concludit Christus hasce parabolas?

Dixit illis Iesus: Intellexistis hæc omnia? Dicunt illi: Etiam Domine. At ille dixit eis: Propterea omnis scriba doctus ad regnum cœlorum, similis est homini patrifamiliàs, qui depromit è thesauro suo uetera & noua.

Quid hisce uult dictum uerbis?

Hæc est eius sententia: Quemadmodum diues paterfamiliàs omne genus penoris, cibi, potus, aromatum, pomorum, & id genus alia depromit, nouum & uetus, ita ut conuiuæ nihil amplius desiderent aut optent: Ita quoque Episcopus, Parochus, Ecclesiastes, doctus ad regnum cœlorum, hoc est, qui Dei uerbum habet, & regnum Dei,

sancti

sancti spiritus instinctu & suasu plantat ac propagat, ex bono thesauro sacræ diuinæ Scripturæ, uetus ac nouum, Legem & Euangelium, & quicquid denique exploratum habet, quod ad utilitatem, salutem & felicitatem hominum conducat, summa diligentia & dexteritate docet & profert. Vt cum S. Paulo liceat ipsi dicere, Actorum 20. Nihil subterfugi eorum, quæ in rem uestram essent, quin annunciarem uobis, & docerem uos publicè & priuatim. Ergo concionator per legem peccatores perterrefaciat, famelicos & cupidos gratiæ reddat. Quando uerò peccata agnoscunt, & deplorant, gratiam & misericordiam desiderant, per Euangelium rursus consoletur, condonationem peccatorum per Christum illis denuncians, & uitam æternam promittens. Ad eum nos prouehat Deus pater, Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

DE VERBO DEI,

Concio habita ex uerbis his, Luc. XI.

Beati, qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud.

Quid Christus agit in hoc dicto?

Certam

Certam tradit nobis promißionem iustitiæ, & fœlicitatis, sicut & aliàs quoq;, Matthæi 19. inquit: Si uis in uitam ingredi, serua mandata Dei.

In quot parteis Dei uerbum distribuitur?

In duas, nempe in Legem, & Euangelium. Lex arguit peccata, & perterrefacit conscientiam. Euangelium remittit peccata, & consolatur conscientiam. Ideò uerbum Dei audire & custodire, nihil aliud est, quàm legem & Euangelium audire, capere, & perficere, quod certißimè sequitur diuina benedictio, cùm præsens tum æterna. Sicut Moses ait uicesimo octauo: Si audieris uocem Domini Dei tui, ut facias & custodias omnia mandata eius, uenient super te uniuersæ benedictiones, & apprehendent te. Benedictus tu in ciuitate, benedictus in agro, benedictus eris egrediens & ingrediens, &c.

Quidnam Christus nos ad legem remittit? Atqui existimabam iustitiam per fidem uenire?

Duæ ad salutem sunt uiæ, quarum unam Mose proponit per Legem, & opera eius. Alteram proponit Christus per fidem, in Euangelio. Quam autem salutis uiam Mose proponit, ea nullum unquam hominem ad salutem perduxit: non quòd lex per se sit imperfecta, sed quòd nullus unquam hominum

num (præter unum & solum Iesum Christum) ea perfectè impleuit, quæ à lege exiguntur. Necessariò igitur sectāda altera salutis uia, quā proponit Christus: uidelicet, ut Dei uerbum audiamus, imò Christum ipsum, sicut Pater è cœlo dicit: HIC est Filius meus dilectus, HVNC audite, Matthæi 17.

Adeóne audire est necessarium?

Audire Dei uerbum præcipuum est medium, per quod fidem & Spiritum sanctum concipimus, sicut Sanctus Paulus ait, Romanorum decimo cap. Fides ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. Ac fides secum adfert Spiritum sanctum, Ioannis septimo. Qui igitur hoc medium contemnit, & Dei uerbum audire detrectat, is rarò ad fidem & notitiam Christi perueniet.

Qualis hic debet esse auditus?

Non simplex auditus, aut uulgaris adeò, ac si quis historiam audiret de Alexandro Magno, aut Cæsare Iulio, de Romanorum rebus gestis, aut Turcis, eiusmodi auditus replet tantùm aures: sed hic simul & auribus & animo auscultandum, ita ut id, quod auditur, non auribus tantùm, sed corde etiam capiatur, & deinde etiam ad usum applicetur. Si enim externus auditus & corporalis sonus

saluos faceret, iam Pilatus, Herodes, Annas & Caypha essent beatißimi.

Quid autem audiatur?

Verbum Dei, *inquit* Christus, *non hominum uerba, nisi uerbo* Dei *sint consona.* Non *hic salus promittitur, & felicitas, humanas doctrinas accipientibus, sed ijs, qui* Dei *uerbum audiunt, & custodiunt.* ~~Nec *est certius signum ullum*~~ *inter omnia* ~~*signa, ex quo cognosci queat, an homo*~~ *felix, aut infelix, filius* Dei, *aut* Diaboli *sit, præter solum uerbum* Dei *auidè audire, & in animo pia cura conseruare, sicut* Christus *inquit,* Ioannis *octauo:* Qui *ex* Deo *est, uerbum* Dei *audit.* Et Ioannis *decimo:* Oues *meæ audiunt uocem meam.* Quia *uerò sic res habet, ideò homo libenter* Dei *uerbum audiat.*

Quam ob causam uerbum Dei prompto animo audiendum?

Tribus *de causis.* Primùm, *propter eos, qui prædicant.* Qui *sunt isti?* Homines *sunt.* Quis *autem loquitur per eos?* Hîc *audi quid* Christus *dicat,* Lucæ 10. Qui *nos audit, me audit:* Qui *nos contemnit, is & me contemptui habet,* Matth. 10. Non *estis uos qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis.* Vnde *sanctus* Paulus *appellat* Concionatores, *priore* Corinthiorum *tertio capite* συνεργούς, *id est, cooperarios* Dei, *&*

adiutores

adiutores Dei, agricolatio, & ædificatio. Et 2. Corinth. 6. hortatur & obsecrat omnes Christianos, ne in uanum gratiam Dei recipiant, Dei uerbum audiant. Et si Deus omnipotens posset quidem intrinsecus in animis omnia expedire per sanctum suum spiritum, non tamen sine medio concionis ei facere collibuit. Quare nemo adeò sibi sapiens, & prudens & doctus uideatur, qui etiam minimam conciunculam contemneret, siquidem ignorat, quando adsit hora, qua Deus suum in ipso opus perficeret.

Secundò, propter periculum, ad uitandos eos, qui Dei uerbum contemptui habent. Sicut enim Christus beatos prædicat eos, qui Dei uerbũ audiunt, & custodiunt, Ita quoq; infelices nominat eos, qui uerbum contemnunt. Primus Psalmus etiam commendat eos, quibus uoluptati est lex Dei. Et in Prouerbijs inquit Salomon: Qui aures auditu uerbi Dei auertit, eius oratio est abominatio.

Tertiò, propter utilitatem & salutem, quam consequuntur audientes illud.

Audire igitur uerbum Dei quam adfert utilitatem?

Triplicem utilitatem. Primùm, Dei uerbũ consolatur peccatores, ne in peccatis animum despondeant. Sic Deus consolabatur Adam post lapsum, uerbum promißionis, de benedicto semine,

Genesis tertio. Sic quoq; consolabatur Dauidem per Prophetam Nathan, quum mœchatus esset cum Bethseba, & Vriam interfectum curasset, 2. Samuelis duodecimo. Ita ubi Petrus post negationem audiuit galli cantum, & recordabatur uerbi Christi, suum tundebat pectus, & egressus forás, fleuit amaré, Matthæi uigesimo sexto. Similiter fecerunt Iudæi, quum in die Pentecostes audirent concionem Petri, compuncti sunt corde: qui ergo libenter acceperunt sermonem eius, conuertebantur ad fidem, & baptizati sunt in nomine Iesu Christi, accesserunt in die illo animæ circiter ter mille. Actorum primo.

Secundò, conseruat & corroborat Dei uerbo auditores. Sic legimus Ioannis sexto capite, quum multi discipulorum Iesu terguersarentur, dixit Christus duodecim: Num & uos uultis abire? Respondit ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes.

Tertiò, Dei uerbum purificat cor, & secum adfert gratiam sancti spiritus. Sic enim ait Christus, Ioannis decimoquinto: Vos mundi estis propter uerbum, quod locutus sum uobis. Et idem Ioannis 14. Si quis diliget me, sermonem meum seruabit, et Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ac uenit quidem uisibiliter Spiritus sanctus super omnes eos, qui uerbum Dei à Petro prædicatum audiebant, Actorum

rum 10. Est preterea uerbum Dei uera medicina, sicut scriptum est in libro Sapientiæ, capite 16. Neq; herba, neq; malagma curat, sed uerbum tuum Domine.

Quid est quod dicit, custodiunt?

Hoc uult dictum & tantum: Non satis est, uerbum Dei audire, uerùm oportet illud concipi animo, & custodiri, tanquam preciosum thesaurum, & non per uim eripi sinere. Diabolus itidem audit, sed non custodit.

Quid uocas custodire?

Custodire significat Dei uerbis fidem adhibere, in fide meditata habere, se in eis exercere, & uitam secundum eorum præscriptum instituere. Hoc autem est artis. Hoc opus, hic labor est. Hîc enim Satan occupatißimus est, ut homines à Dei uerbo auertat, ne uel aliud audiant, aut si maximè aures aduertant, non tamen custodiant: ad hoc multis utitur technis & laqueis, qua plurimùm ualet arte. Est enim insignis doctor in nequitijs.

Quid maximè uerò obijcit hominibus?

Tria potißimùm. Primùm obijcit inenarrabilem clementiam & misericordiam Dei, atq; hîc in animum hominis reuocat, ut cogitet: Deus non adeò iratus est, ut fertur: sæpe mihi sua dextra auxi

lio fuit meis temporibus, neq; nunc sanè desertum me patietur. Non ita ardet flammiuomus infernus, sicut Sacerdotes tradunt. Non usq; adeò niger est Satanas, ut à pictoribus pingitur. Hæ sunt nocentissimæ capturæ, calumniæ, diabolicæ technæ & fraudes, & tartarei laquei, quibus Satan multa millia hominum ad inferos trahit. Verum quidem est, Deus est clemens, misericors, & longanimis; quantò autem patientior, benignior, & facilior ad remittendum, tantò deinde grauior, & sæuior est in sumendo supplicio, si non resipiscant homines, Sicut Ethnicus Valerius Maximus dixit; & Christus ostendit in ficu, Lucæ decimo tertio capite.

Secundò, pluralitas & multitudo sceleratorum, ubi homini sic obijcit, ut cogitet: Age tu non solus es, qui in uolutabro peccatorum hæres, quod tu facis, id ante te fecere complures, & itidem hodie faciunt, nec tamen de consequenda salute desperant. Petrus Christum ter negauit, Paulus Christianos acerrimè persecutus est, Latro in cruce nihil quicquam fecerat boni, & tamen gratiam inuenerunt. Nec de numero sum religiosorum Sacerdotum, Carthusianorum, Monachorum, Monialium, ut equidem tam perfectam uitam ducam. Nec magis cum cœlitibus consuetudinem habeo, quàm alij. Et hoc est peculiare & subtile artificium Diaboli, quo plurimos circumuenit. Sed parum illis profuerit,

fuerit, iuxta illud: Ille seruus, qui cognouit uoluntatem domini sui, & non se præparauit, neq; fecit secundum uoluntatem eius, plagis uapulabit multis. Preterea exemplum Latronis in cruce non est exemplum imitationis, sed consolationis. Si cum Petro & Paulo peccasti, age quoq; cum eis pœnitentiam, & desine peccare.

Tertiò, suggerit homini tempus iuuentutis suæ, ut subeat animum: Ecce adhuc tenera es ætate, multum tibi temporis reliquum est ad resipiscendum. Vbi ad perfectiorem peruenero ætatem, tum sat mihi spacij erit ad pœnitentiam. Hic demum est Satanicus & infernalis astus, ac laqueus, quo propemodum uniuersum mundum irretitum, ad Tartara trahit, qui adeò religiosam & prophanam transigunt uitam, nullo timore & amore Dei imbuti, existimantes se multos adhuc annos superstites futuros, & incolumes, nihil adesse periculi. Sed de improuiso adoritur eos mors imparatos, rapit, & tollit è terris truncum & caulem, arborem & radicem. Sic euenit diuiti illi, Lucæ duodecimo. Similiter diuiti epuloni. Sic quoq; Nabalo, 1. Samuelis 25. quum securißimam se ducturos uitam, & ex omni parte beatam sperarent, subitò occumbebant. Ideò Christus toties exhortatur, inquiens: Vigilate.

Quid ex hoc Euangelio nobis discendum?

Quandoquidem in hoc tenebroso & nequam mundo agimus in regno Satanæ, septi undiq; tendiculis & laqueis, uidemus ubiq; plurima mala exempla & offendicula, audimus itidem plerunq; uanā & falsam doctrinam, & errores, & deceptiones, in quibus nullum aliud præsidium, solatium, non aliud propugnaculum & arma sunt, præter solum Dei uerbum: miseris mortalibus nobis profectò necesse est, ut illud in oculis, precio, & honore habeamus, diligenter audiamus, reuerenter tractemus, & in animo custodiamus. D. Chrysostomus sedulò adhortatur ad uerbum Dei, scribens in 16. Homilia: Qui aquam hauriunt, inquit, non modò uasa repleta habent apud fontem, sed etiam omnem adhibent diligentiam, ut suas fidelias prudenter collocent, ne relabātur, & in uia itidem prudenter portent ne fortè effundant, & uacui domum redeant. Ita uos auditores diuini Verbi quoq; facere decet. Venitis huc ad fontem ad cōcionem, uacuis fidelijs, Si ergo tantum hîc apud suggestum fidelias repleatis, Dei uerbum audiatis, & percipiatis, & uel in itinere effundatis, & obliuioni tradatis, ac si uacuis fidelijs & cordibus domum reuertamini. Quam ergo utilitatem ex tali uestra profectione, & audita concione percepturi?

Et alius quidam dicit: Velim homines sic agere post auditam concionem, ut solent post Sacramenti sumptionem. Si enim quis Sacramentum sumpserit, totum

totus & ex animo ad Deum uertitur, ad tempus in silentio manet, colligit & attollit deinde cor & animum in contemplatione ad reminiscendum ingentis bonitatis & beneficij Patris, quod per mortem charißimi sui Filij præstitit. Idem uos uerbi Dei auditores facere uelim post concionem, ut ab animo oci si & tranquilli maneatis, sinentes semen auditi uerbi altè radices in cordibus uestris agere, & uitam recipere, ne illud uentus superbiæ dispergat, aues cœli, hoc est, infernales spiritus deuorent, spinæ curarum & auaritiæ suffocent, sed ut in corde exoriatur, & bonos fructus ferat.

Quæ nunc est summa huius dicti?

Hæc est sententia: Verbum Dei auditum, corde exceptum, & fide custoditum, efficit filios Dei, & adfert remißionem peccatorum, & æternam uitam: sed uerbum Dei contumelia afficere, contemnere, & calumniari, efficit Satanæ filios, Iudæos, Turcas, Gentes prophanas, & adfert Dei iram, & æternam damnationem. Proinde dilectißime Christigena, si animus est hîc iusticiam, quæ coram Deo ualet, consequi, & in futuro seculo uitam æternam, audi uerbum Dei auribus, & excipe fideli corde, conserua quoque, & ne surripi tibi patiaris. In summa, si Christi uolumus esse discipuli,

necesse est, ut eius lectionem audiamus, discamus, reddiamus, & memoriæ mandemus. Tum hæc uerba Beati sunt qui Dei uerbum audiunt, & custodiunt illud: in nobis quoq; perficientur: ita ut cum Christo in æternum uiuamus. Id quod præstet nobis Deus pater, Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

FINIS.

INDEX

INDEX EVANGELIO-
rum Festiualium.

In

FRANCOFORTI, APVD HAEredes Chr. Egenolphi, Anno M. D. LX.